COLAI

PERA.

MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pane, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
(14. Georgii Rhetii Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

2. b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.

D. O. M. A.

DE

CONCILIATIONE ENUNTIATORUM,

EXERCITATIO PECULIARIS.

Logica, Philosophica, & Theologica,

Theologicis exemplis maximam partem illustrata.

Modos & media conciliandi Logica, Noologica, Metaphysica, & Theologica, in Enunciatis in speciem adversis, distinctè subministrans, exemplis Theol. illustrans, & quæ Conciliandi negotio in iisdem obduci queant, universa resolvens.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ.

Literis CORELLIANIS.

Anno à partu Virginis Matris,

M. DC. LIII.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQ; VIRO,
DN. GEORGIO BRAUN,
Reipub. Elbingensis Consuli, ac Iudicii Assessori dignissimo: Patrono observando,
S. & felicitatem.

NIhil sine Causâ fieri ajunt, *Vir Amplissime, Patrone Observande.* Mihi pagellis his lucem ab Ampl. Nomine tuo fœnerandi Causa, *partim* ab honore est, quem nuperâ electione Deus virtuti tuæ admensus est, ut eum felicem ac Reipubl. salubrem gratularer: *Partim* ab argumētō, moderandi ac conciliandi Controversia religionis, Cui è ratiocinandi disciplinâ modos mediaq; hoc Tractatu ministrare visum, ut à tuâ moderatione auspicia maximè mutuaretur. Simùl obices non leves remoti, multum contra niti valituri, & ut insolubiles projecti. Ostensum, esse modos, quibus solvātur, si tàm ad moderata flecti velit Orbis, quàm immodicis plerumq; attinetur. Largiatur Deus, eò proficiant, quorsùm à me destinantur: Ab animo tuo, pacis cupidissimo, accipientur & explicabuntur. Omnibus placitura non spero. Ne Jovi quidem universis placere datum ajunt. Mundi præmia non exspecto: Expertus, carere præcolo, quàm beari. Nec tamen propositum me prorsùs destituet. Satius enim ad pacem, quàm rixam laborari existimo. Bonis, prudentioribus, pacificis, TIBI, tuiq; similibus, non improbari mea, sufficiet. Et in præsens ingens præmium habiturus, si, quod præ manibus scriptū, relegere, ac ad favoris patrocinii tholos suspendere non denegaveris. Quod & ab eruditione tuâ exspectandū, & humanitati tuę maximè conveniens futurū est. Benè feliciterq; Vale, Vir Amplis. ac bono Reipubl. Quę agis. Elbingę. 12. Cal. Augusti. Anno 165.

Amplis. Nomini tuo *Deditissimus,*
HENRICUS NICOLAI, Prof.

LECTORI CHRISTIANO
& benevolo S. Et pacem Christi.

Conciliandi media fero, & ad pacem, Lector Christiane: Sed ea fortè bellorum incitamenta erunt. Vetus ac jam pridem insita mortalibus discordiæ cupido. Pugnare interdùm malunt, quàm vivere. Quò te ambulando cunq; vertas gentium, Vitare non est disputatorum genus procax, protervum, factiosum, garrulum, Quos pacis hostes ultima hæc ætas tulit, alicubi Jos. Scaliger. *Vt concesserim, apud paucos tacito voto quietem pro discordiâ expeti: Ita vix sperem, corruptissimo seculo tantam apud multos moderationem, ut qui pacem belli amore turbaverint, bellum pacis caritate deponant, Vt quædam* Paulini ap. Historicum 2. Hist. *imiter. Abundare mundus gaudet disputatis, & penè illis soffocatur. In certamen descendunt plures, pari audaciâ, dispari scientiâ & Conscientiâ. Non in rem venit, quâ arte contendas: sed quo favore, fiduciâ, impudentiâ. Sed nec tot religiones, scitis placitisq; dissonas, in consensum cogi posse putem, nisi quodam aut mutato, aut mitigato. Hoc ex parte in Conciliandi doctrinâ Logicâ hic ostendisse, conatus fuit, quando semel pedem ad Conciliandum locare destinatum. An è Logicis Conciliandi mediis aliquid profectus in Theologicis, ubi contraire Enuntiata videntur, quod ad rem & manum sit, hauriri queat, dispiciendum fuit. Digesta, distinctimq; per membra ostensa, quæ commoda visa, & ad Logicam formata, & Conscientiæ quadrantia. Exempla ex Theol. admota, quibus maximè Contradictio objecta, an eximi quiret? Tantum sæpè bellum non esse, ut non sensus, quo coeant, supersit, palàm factum. In oppositam obversa, graves nodos, & morari visa, universa dissolvi. Nullis fortè, nec votis, nec rei, satisfeci.*

satisfeci. Id commune esse his negotiis solet. DEI tamen Verum, pacem Orbis, aut inducias, mitigata turbarum in religione, ubiq; sectatus sum. Eò homo animal conditus moderatum, non rabidum. Nî spem exsaturavi, conatum nemo prudens in vitio posuerit. Scio, utcunq; intenta pro bono sint: invidiam tamen scribendi hoc genus fermè sortiri majorem. Patroni rari: Rhadamanti multi: Sævè in alterius liventes ingenium, grassantes laborem. Mundi præmia ac judicia si spectes, retrahere pedem à conciliando satius fuerit. Id scriptum etiam in nupero expertum, longè seciùs, ac pro merito, ab nonnullis exceptum, etsi prudentioribus benignè susceptum. Defensionem facilè habere potest, Si necessum: Etsi cum quibusvis contendisse vanum est. DEO nitendum, Cujus ad pacem monita toties in sacris repetita, Vt t. 21. deduco. Sycophantas illud Chrysostomi hom. 5. in 2. Cor. cogitare æquum: Homo es, ne aspidum virus evomas, Ne in beluam degeneres. Ob eam causam os datum est, non ut mordeas, sed aliorum vulneribus medearis. Æquum lectorem facilè eò consensurum æstimo. Te id facere, Lector Christiane, legere, pensare, judicare, cupio. Nos plantamus, rigamus, indicia ponimus, modos rationesq; apparamus. DEus incrementa sufficiet, successus rebus, pacem animis, prudentiam cogitatis, & consensum sententiis conciliare potest. Cujus tutelæ commissus optimè in calumnioso seculo persistito. Vale. Elbingæ 12. Calend. August. Anno 1653.

D. O. M. A.

De Conciliatione Enuntiatorum,

EXERCITATIO PECULIARIS.

THESIS I.

INter affectiones Enuntiatorum in Logicis plures occurrant, *quæ egregiè in operando intellectum Logicum instruant, usumq́ etiam insignem ac multiplicem rationali disciplinæ inferant, quales* Explicatio, Limitatio, Æquipollentia, Conversio, Consecutio, Oppositio, *sunt, quarum frequens in conferendo usus, necessitas, & commoditas est, Vt pessimè omnium necessaria doctrina magnam partem è Logicis à* Rameis *omittatur, Vt* alibi *ostenditur: Inter cœteras autem dignitate ac usu facile emineat* Conciliatio, medium rationale, notioq́; Logica hermeneutica, cujus beneficio propositiones in speciem pugnantes ad harmoniam aliquam Logicè reduci docentur, *Vt cum pugnare videantur, mediis tamen justæ rationis à* Logicâ *rationis directrice suppeditatis intervenientibus, non verè pugnare, sed consensum invicem obtinere, deprehendantur. Quanquam autem* à potiore Logicorum parte *doctrina ejus prorsus omittatur, quod & aliis materiis contingit, Vt* modis prædicandi, *quorum mentio tantùm in Logicis, non tractatio, etsi res ipsa in sese tractari digna ac utilis sit, prout* Tract. de modis prædicandi f. 1. t. 1. Et f. 2. t. 4. *dictum: Omitti tamen non debere, sed specialiter proponi,* usus, necessitas, dignitas, & jucunditas *ejus satis docent, unde à nobis*

specialiter in Logicis tradita est, L. 1. Comp. Log. p. 2. C. 3 Et d. 9 Log. t. 28. Et d. 9. Log. contract. t. 9. *Paucis eam attigit* Keckermannus L. 2. Gymn. Log. C. 4. *Etsi in Systematibus Logicis ferè omisit. Esseq; utilem ac necessariam hanc doctrinam* scripta Conciliatorum, *& media pro conciliandis in speciem adversis enuntiatis ab illis adducta in variis materiis docent. Partim* è Sacris & Theologicis, *ut Bibliis Canonicis, Scholasticis, Sic harmonias locorum Scripturæ in specie pugnantium ex* Patribus Augustinus & Hieronymus, *ex* Pontificiis Jansenius, Barradius, Lutheranis Chemnitius, Althammerus, Waltherus, Gerhardus, Ex Reformatis Brugtonus, Scharpius, Junius, Ex *Iudæis* Menasse Ben Israël, *Et regulas quasdam in specie huc pertinentes* Meisnerus p. 2. Ph. Sob. s. 2. c. 2. Waltherus L. 1. harm. Bibl. C. 3. 4. 5. Flacius T. 2. Clau. Scrip. tr. 1. Hyperius L. 2. Meth. Theol. c. 11. Aliiq; *deducunt. Discordantium Canonum in Iure Canonico conciliationem* Gratianus, *sententiarum inter Scholasticos, Vt Thomam, Scotum, Occamum*, Johannes de Radà, *aliiq; scripserunt*, Partim *è profanis & civilibus, Vbi in Philosophicis Conciliatorem edidit* Goclenius, *in Iure antinomiarum & dissolutionum Tractatu* Pacius, Bronchorstius, Mercerius, Lochhammerus, Ant. Mattheus, *in Medicinâ eas* Cardanus, Rorarius, Poleterius, aliiq; *scriptis persecuti sunt, Vt jam olim* d. 9. Log. contr. t. 9. *mihi allegatum fuit.*

2. *Vt distinctè Conciliationis doctrina tradatur*, definitio ejus & media *breviter ex Logicis adducenda sunt.* Definitio *est, quòd sit* propositionum in specie pugnantium ad harmoniam & convenientiam per media & instrumenta Logica reductio. In specie pugnantium, *hoc est*

qu-

quæ videantur pugnare, reverâ sensum pugnantem non habeant. *Nam si hoc, frustrà Conciliatio tentatur. Non enim in illis Conciliatio, sed Oppositio contraria vel contradictoria, locum habere debet.* *Secùs* Horatii *illud obtineat,* Pergis pugnantia secum frontibus adversis componere, L.1. Per media & instrumenta Logica, *hoc est, quæ rationalis operationis sint, ad eam faciant, eiq; destinata sint, & à ratiocinatrice disciplinâ, Logicâ, suppeditata sint. Ea in Logicis unico versiculo comprehendimus:* Terminus, & sensus, Circumstans, quidvè repugnans. Terminus, *hoc est, terminos considerare oportet, an iidem maneant, an mutentur, varientur, significatis aliis & aliis adducantur, situ transponantur. Nam si hoc, Oppositio exspirat, & Conciliatio facilè succedit. Vt, homo est animal, lapis non est animal, diversa, non opposita sunt, eoq; conciliatione non indigent:* Et sensus, *hoc est, Oportet sensum enuntiatorum attendere, an uno eodemq; sumantur, an in altero enuntiato ille varietur. Vt, Missa est sacrificium, & non est, sensus vocis sacrificii mutatur, Cum & propriè & impropriè dictum intelligi possit, t.12.* Et Tr.d.med.religios.t.51. Circumstans, *hoc est, ad omnes circumstantias, antecedentia, connexa, Consequentia, locorum, temporum, modorum, respectuum, objectorum, subjectorum, personarum, graduum, & si quæ similia, rationes ac varietates, diligenter attendendum. Nam si aliqua varietas hic intercurrat, vera oppositio facilè deteritur, & Conciliatio enuntiatorum institui potest. Vt, Legatus optimè rem expediit, scil. in Galliâ, & non opt. exp. scil. in Germaniâ, diversa loca importat, consequenter verâ Contradictione excidit.* Quidvè repugnans, *hoc est,* Veræ oppositionis leges probè observare oportet. *Vt de eodem subjecto identicè sumpto, secundùm*

cundùm idem & eodem modo ac ratione per omnia intellecto, affirmatio & negatio enuntiati capiatur, nihil diversitatis in illis importetur. Nam si hoc, facilè enuntiata oppositione liberantur, & in consensum rediguntur. De quibus omnibus d. 5. & 9. Log. *pluribus dictum, ac* Tractatus de Contradictione, & Enuntiatorum Oppositione, *exemplis uberiùs universa declarârunt.*

3. *Itaq; quia pleniùs illa alibi expedita, hic* ad praxin quandam exemplarem *doctrinam illam in seipsâ utilem revocari justum fuerit, ac periculum facere,* Utrùm in Theologicis sententiis, quæ contradictione inter se concurrere videntur, nullas omninò in harmoniam traducere liceat, sed totum negotium in desperatis relinqui necessum sit? *Sanè* varii *gravesq;* Scriptores *in conciliando à variis partibus hactenùs laboraverunt, tàm è* Pontificiis, *Vt* Vincent. Lerinēsis, Cassander, Erasmus, Vicelius, Schoppius, Erbermannus, aliiq; *quàm* Lutheranis, *Vt* Calixtus in digress. de arte novâ, Judicio de Cœnâ, Vindiciis con. Moguntinos, & aliis, Nic. Hunnius in Consultat. Himmelius in Collegio & prodro: Irenico, Apologiâ, aliisq; scriptis, Hutterus, Sigwartus, Meyfartus, Meldenius, Varenius, Vaeckius de unione fidelium. *Olimq;* Lutherus *ipse in Epist.* ad Erasmum *& aliis* T. 2. Epist. *Vbi satis morsum esse ait, jam ne consumamur ab invicem, providendum. Quod eò miserius spectaculum ait, quò certius sit, neutram partem ex animo pietati malè velle, & pertinaciam suam cuiq; placere: Vt &* Reformatis, *ut* Junius, Pareus, Lud. Crocius, Conr. & Joh. Bergius *in scriptis Irenicis,* Zepperus Im Bericht von Einigkeit der Kirchen/ Snabelius in diss. Theol. de sarciendâ concordiâ, Anonomus

d. causis

d. causis dissidiorum in relig. Alius de concordiâ & pace Eccles. Alius *in stabilimento Irenico*, *qui* Bergius *putatur*, alius *in Veritate pacificâ*, *Ex Anglis* Thomas Hayne, Davenantius, Mortonus, Hallus, Vsserius, *Præter illos* Galli & Helvetii *in Censuris ad* Dureum, Dureus *ipse in variis* Epistolis, Informatione, & Responso ad Hulsemannum, Hottonus in Tract. von Einträchtigkeit der Kirchen / aliiq; : *Sed successu non satis respondente. Odia plurimorum res excivit, invidiam non levem experta est, factiones commovit, partes alioquin cohærentes divulsit, validiq; obices in oppositum, conciliandi impossibilitatem, quâ dogmata Pontificia ac Reformata* ab Hallo in Româ, & Hulsemanno in Calvinismo irreconciliabili, Luc. Osiandro in Sculteto Atheo, Hunnio in Consultatione, Huttero & Sigwarto in Irenicis, Meisnero in probâ Calvinischer Religion, aliisq; *projecti sunt, quibus stantibus de conciliando cogitare temerarium videri queat. Quippè* & *reales dogmatum contradictiones*, & *materiæ formæq; eorum irreconciliabiles objectæ sunt*, & *præjudicia Scripturæ ac Antiquitatis allata, verumq; falso conciliari impossibile assertum, in sacris vetitum dictum fuit, ac in potestate transigentium non esse monitum fuit, quidquam de sententiâ Revelantis remittere, omnesq; sectas hoc modo*, Judaismum, Paganismum, Turcismum, Arianismum, *cum Christianismo ac Lutherismo conciliari posse, futurum, inter cœtera adductum fuit. Quæ incommoda sat valida esse, si ita res habeat, ac difficultatem negotio huic conciliare, manifestum est.*

4. Veruntamen *quantum hæc in recessu habeant, Quod etiam conciliandi dogmata medium maximè idoneum & ad rem futurum sit, Quod quidem* ad fidem semel sanctis

traditam

traditam respicere ac recurrere, *vel medium inquibusdam arripere, futurum videri queat, Vt* in Irenico & defensione ejus, *Vt* & de Med. religioso *dictum*, *Ac* libri de fide Christianâ, Item de deprav. Sectarum causâ, t. 33. aliaq; scripta, *expedient, diductiùs commentari, aut examinare, cum alterius temporis ac occasionis negotium esse cogatur:* *Hic post* Logica Conciliandi fundamenta t. 2. *tradita specialiùs paulò atq; explicatiùs pro Theologicis sentiendi diversitatibus ac Contradictione, quæ maximè objicitur, mitigandâ vel amovendâ, nonnulla proponere utile futurum visum est; Inprimis obices etiam objectos removere, ut amotis illis aliquid spei ad conciliandum superesse posse eluceat.* Fundamenta illa partim Logica, partim Metaphysica, partim Noologica & Physica *esse poterunt, & exemplis Theologicis ad rem facientibus maximè illustrata esse, conveniens fuerit. De quo distinctè sequentia teneri necesse futurum est.*

I. Ubi ullus respectus Logicus, quicunq; etiam ille sit, modò cogitari, eoq; aliquâ ratione dari possit, intercedit in uno, qui non sit in altero Enuntiato, Contradictio tota exspirat & invalida est. *Vt, Responde stulto secundùm stultitiam ejus, Et non responde ei s. s. ejus* Prov. 26. v. 4. 5. *citra Contradict. sunt, prius enim de eò intelligitur, ut ne sibi Sapiens videatur, posterius, ne ei similis alter evadat. Exempla infinita alia sunt, & in Logicis, ac* Tract. d. Contradictione, ut & de Oppos. alibiq; *pluribus deducta. In hac autem sententiarum cum* Reformatis *diversitate, in multis ita se rem habere certum est*, ut diversissimi respectus, sensus, ac limitationes in Enuntiatis intelligantur, vel certè intelligi debeant, si sententia adæquatè exponi debeat, *quibus alteri sententiæ additis aliquid veræ Contra-*

dictionis cessare oporteat. *Vt, mundus interibit, scil. quà qualitates, non interibit quà substantiam, non contradicunt, quia non secundùm idem intelliguntur.* Sic *Deus vult omnes salvos fieri voluntate antecedente, intentione primâ, gratiæ & generalis benevolentiæ,* non vult *voluntate consequente, intentione secundâ, justitiæ ac judicii, ac prævisâ multorum obstinatâ reluctatione, & arcanis interdum judiciis suis nobis specialiter incognitis,* Vel *vult voluntate signi & revelatâ, non vult voluntate beneplaciti & occulti interdùm judicii, sic enim* Pontificios & Reformatos *interdùm limitare certum, & ex parte Author* Cal. irr. p. 109. *determinat, non contradicunt. Quicquid olim Regiomontanis quibusdam contra* D. Behmium *visum fuerit, qui verè Contradictorias, nullaq; glossâ ac distinctione conciliabiles propositiones censuerunt, Vt* Latermannus in declarat. Apolog. *narrat,* Vel *vult omnes salvos,* τὸ *omnes distributivè pro generibus singulorum, non collectivè pro singulis generum accipiendo, sic enim* quidam *etiam limitant,* V. Chamier. T. 3. L. 7. C. 6. An veræ hæ limitationes, jam non disputatur. *Sufficit, ex formâ Contradictionis hic non plenè positâ ostendi,* Contradictionem non procedere, *sed præsupposito utriusq; adæquato sensu, & plenè limitato ac expresso, respectibusq; adjectis, qui adjici debent,* Contradictionem Vtriusq; Enuntiati exspirare, *& consequenter Conciliationem aliquam admittere.* V. t. 16. *Sic exempla* Authoris p. 17. *adducta, Plantæ vivunt, scil. vitâ non sensitivâ, vera enim plantæ forma est anima viva non sentiens, Vt in* Physicis *docetur, Et* Dec. 2. Miscell. d. 9. t. 18. *monitum, Et non vivunt, scil. vitâ sensitivâ, extra veram Logicamq; Contradictionem sunt, Cum de aliâ ac aliâ vitâ intelligantur.*

5. Idem *in plurimis aliis exemplis inter* Nos & Reformatos

matos ac Pontificios *controversis procedit.* Ut Deus *absoluto odio quosdam à salute reiecit, & DEus absolutum jus habuit quosdam à salute rejiciendi, sed quo tamen non usus est, sic enim quidam sententiam suorum hic explicant, Vt* Pareus. Cæsar in rettung / p. 90. *Et alii,* Vt L. 2. d. fid. Christ. C. 6. *docebo, Et* Lutherum *Diatriben* Erasmi *infringere volentem ad absconditum DEum & absolutum DEI jus periculosè recurrere* Behmius d. 6. p. 115. in Lib. d. serv. arbit. *scribit, non verè contradicunt.* Vel *DEus absolutè quosdam damnavit & reprobavit, scil.* quoad nos, *quia nobis sufficientes Causæ in quibusdam exemplis non liquent, ut in tot millib. infantium infidelium, Turcicorum, Iudaicorum, Ethnicorum, in juventute abreptorum, priusquam ad salutis notitiam devenire, aut de eâ inquirere possint, ad talia enim exempla* Reformati *interdùm respiciunt, Et DEus non absolutè reprobavit scil. quoad causas sibi notas, nobis ignotas:* V. d. med. religios. t. 17. DEUS *quosdam ad damnationem creavit, quomodo &* Lutherum in C. 3. Gen. & Selneccerum in C. 3. Gen. *quidam loqui ajunt, sed apud quos nihil eorum invenire datur, scil. consequenter aut conditionatè, prævisâ obstinatâ incredulitate eorum, & apostaturos ipsos à* DEO, *ac malitiosè repugnaturos, voluntate consequente ac judicii, sic enim quidam Reformati limitant,* V. Ferrium C. 29. Schol. Orthodox: *Et non creavit, scil. antecedenter & intentione primâ ac voluntate gratiæ, sic enim omnes ad salutem, nullos ad mortem creavit, sed libero voluntatis abusu homo in damnationem incidit, ad quam non creatus fuit, Logicâ contradictione carent, quia non secundùm idem accipiuntur.* Conf. c. l. t. 12. Sic DEUS est Causa peccati per accidens, *terminum Causæ* latè *pro quocunq; occasionante aut statuente, unde ansa*

peccati per accidens rapitur, non incitante aut influente, Et non est causa per acc. terminum Causæ ſtrictè, *pro influente aut movente ſumendo*, V. c. l. t. 11. Et d. Causâ p. accid. t. 43. *Et quomodo* Keslerus in quadr. diſcurſuum, *jam limitavit*: Adamus ante lapſum naturâ ſui mortalis fuit, *ſcil. abſolutè in ſeipso ſine concreatis donis ſpectatâ, & non fuit mortalis ſcil. cum donis concreatis & imagine divinâ ſpectatâ eâ, etiam ultra Contradictionem ſunt, quia non idem & idem ſervant, Vt* Keslerus c. l. *jam olim monuit, & Ego* dec. 2. Miſ. d. 10. t. 15. *oſtendi. Non quà homo abſolutè, ſed quà integer & perfectus, naturâ immortalis Adamus fuit*. Chriſtus pro omnibus paſſus eſt, *quà ſufficientiam & actum ac DEI intentionem, non pro omnibus quà fructum, efficaciam, & applicationem*, Iuſtitia ſemel ab homine poſſeſſa, *ſcil. Evangelica, ex fide in Chriſtum profecta, non amittitur, Et juſtitia, ſcil legalis ex lege & obedientiâ ejus habita, amitti poteſt, ſic en. quidam* Reformati *determinant*, V. Chamierum T. 3. Panſtrat. L. 13 C. 21. Et L. 2. d. fid. Chriſt. C. 6. *adducam, non contradicunt. Sic filius DEI dependet à Patre, & non dep. à Pat. ſine Contradictione ſunt, quia terminus dependentis aliter & aliter ſumitur*. V. t. 12.

6. Corpus Chriſti *comeditur ore, ſcil. mediante pane & quoad eum, non com. ore ſcil. quà ſubſtantiam ſui in ſeſe & ſeipſo, ſic enim cibus mentis, non ventris aut oris eſt, ſine verâ Contradictione ſunt*. Corpus Chriſti *quà ſubſtantiam ſui adeſt Cœnæ, ſcil. homini fideli ritè dignéq; communicanti, non adeſt, ſcil. pani aut ſpatio panis, aut loco Cœnæ, vel ori impuri communicantis, quaſi ori increduli indignè ſumentis una cum pane ingerendum ſit, etiam citra Contradictionem ſunt. Non loco, ſed Myſterio adeſt, quod longè ſupra omnia*

loca, Nec de præsentiis ad loca hic cogitandum Reform. dicet, sed mens suprà ultraq; loca omnia exaltanda, & in Christo mysticè defigenda est, ubi expirant loca, & pensantur mysteria: Nec panis locus Corporis est, sed medium divinitùs institutum, per quod nobis exhibetur, Vt benè Mentzerus de comm. Idiom. c. Sadeel. p. 244. Communio mystica hic instituta corporis & Sang. Christi, 1. Cor. 10. cujus medium panis ille esse debet, Quæ naturâ sui ad præsentiam aut absentiam ad loca reverâ indifferens. Sic nobis vera ac realis Communio cum Sanctis in Cœlo triumphantibus intercedit, Vt Tr. de Comm. Sanctor. C. 6. Et de esu Eucharist. C. 5. docebo, Etsi locis ac spatiis realiter distemus. Sic mystica fidelium inter se unio, quà unum, ut & Christus cum Patre, Joh. 17. v. 11. 21. præsentiam substantiarum & ad loca non requirit, sed inter absentes spiritu, affectu, consensu, constat, Vt alibi docetur. Substantia Corporis Christi est præsens in Cœnâ, sc. animæ fidelis communicantis, non præsens sc. spatio panis affixa, vel ori increduli hausta, vel locis ac spatiis terrestribus ligata, non contradicunt. Substantia Corporis Christi editur illo instrumento, quo panis editur, quod p. 229. adducitur, scil. mediante pane & quantum ad eum, & non editur illo instrumento, scil. quantum ad sese & substantiam sui, extra veram Contradictionem sunt. Sic Christus quâ homo in terris adest humanitate suâ, scil. vim, Spiritum, influxum, operationem, virtutem & efficaciam suppeditando, sicq; omnia in omnibus in Ecclesiâ, quæ plenitudo ejus est, implendo, Ephes. 1. v. 23. Quomodo dictum apertè explicat Heshusius in Colloqu. Quedlinburg. Et nec ubiquetatem nec omnipræsentiam inde sequi ait, Et Frantzius verbum implendi sæpissimè motum, operationem, & efficaciam notare

ait;

ait, *ac Scholion* Lutheri ad Eph. 1. *de operatione Christi probat*, d. interpret. Script. C.125. *Non adest hum. suâ scil. absolutè quà substantiam sui eam sumendo*, *quam cœlo intulit*, *ut* Reformatus *censet*, *& ubi everti veritatem substantiæ carnis Christi metuit*, *si pluribus locis eam statuat*, *secùs & hoc affirmare paratus*, *si ingens Scrupulus solidè sibi eximi possit*, *& huc pleraq; disputantium consilia vertenda essent*. *Vt* Tr. de Multipræsentiâ *monui*: Vel *Christus homo est omnipræsens scil. ratione suppositi & unionis ad illud*, *Et non est omnipr. scil. ratione carnis in se ac naturâ humanitatis*: Panis *Cœnæ est signum corporis Christi*, *scil. exhibens & communicans illud*, *& non est signum*, *scil merè repræsentans & significans illud*. *Om. homines sunt electi*, *sc. electionem generaliter pro dilectione sumendo*, *& non sunt electi*, *scil. specialiter pro separatione ad salutem certò secuturam*, *citra Logicam Contradictionem sunt*, *quia non eodem sensu capiuntur*. Sic Christus est *DEus*, *scil. per essentiam & naturam*, *& non est DEus*, *scil. per inoriginationem*, *ut originem nullam agnoscat*, *ut Pater*, *sine Contradictione sunt*, *quia vocem DEI alio ac alio significato accipiunt*, *Vt* alibi *docetur*. Indigni *manducant Corpus Christi*, *quantum ad panem & medium attinet*, *non manducant*, *quantum ad substantiam sui fideli corde suspiciendam*, *sine Contradictione sunt*, *de diversâ enim manducatione vel manducandi ratione loqvuntur*. Solus Christus *est Caput Ecclesiæ*, *& etiam Papa Rom. est caput*, *sine Contrad*: *sunt*, *de alio & alio enim Capite ap.* Papistas *intelliguntur*. Prius *de capite per internum influxum virtutis & gratiæ*, Posterius *de cap. per externam gubernationem in visibili Christianorum cœtu*. Cœna *in publico est celebranda*, *scil. ordinariè*, *Et Cœna in privato celebranda*, *scil. extraordinariè*,

dinariè, utrumq; verum & non Contradictorium est, de diverso enim celebrandi modo intelligitur. Imagines *sunt ferendæ in templis, & non s. f. i. t.* Choreæ *sunt licitæ, & non s. l. non contradicunt, quia de diversis imaginibus & choreis diversisq; circumstantiis loqvuntur & intelligenda sunt.* Hæreticus est occidendus, *& non est occid. non contradicit, quia de diverso hæretici genere loquitur; simplice & composito, errante & errone, seducto & seducente, errone & blasphemo vel seditioso, errante vel turbone, sanabili vel insanabili.* Sic, termini Scripturæ *ad fidem sunt adhibendi, scil. statuendam & substantiam ejus, & termini etiam Philosophici ad eam sunt adhibendi, scil. explicandam, demonstrandam, probandam, ac ostensionem ejus, citra veram Condictionem sunt.* Sic sola caro Christi est passa, *scil. ut subjectum receptivum, & ut quo. Non sola est passa, sed* DEus *& homo est passus, ut subjectum adæquatum, denominationis, & ut quod, etiam non contradicunt, quia non de eodem subjecto procedunt.* Sic solum Corpus hominis *moritur, ut subjectum corruptionem sentiens ac recipiens, non solum mor. sed homo totus corpore & animâ constans, ut subjectum adæquatum & denominationis.* Homo *moritur, sed secundùm corpus, non animam. Sic* homo *vulneratur, verberatur, ægrotat, sanatur, sed secundùm corpus, non animam. Nec de animâ dicitur, quòd vulneretur aut verberetur. Hæc etiam* sine verâ Contradictione *sunt. Plurima horum ex* Tractatu de medio religioso *patuerunt.* Simile in aliis infinitis exemplis *procedit, si ad veros sensus diversorum opinantium respiciatur, illiq; exprimantur. Nam hic per alios & alios respectus sententiis plenè propositis superjectos,* desinunt realiter

ter Contradicentia *esse*, *& fieri consentientia incipiunt. Sicq́; Conciliationem admittunt.*

7. *Hæc de* primo *fundamento in enuntiatis conciliandis dicta.* Secundum *hoc sit:* Ubi Contraria enuntiata pro Contradictoriis arripiuntur, utraq; falsa esse possunt, & verè contradicentia non sunt, sed tertia interveniens *illis enuntiatio ac media inter ea vera esse potest.* *Vt*, *Omnes homines sunt divites, docti, Philosophi, Et nulli hom. s. d. d.* P. *Vtrinq́; falsa,* Media, *Quidam homines sunt div. docti, Philosophi, vera sunt, & extremis conciliationem quandam in vero important, Vt extrema rescindantur, medium eorum recipiatur. Sic, Omn. homines sunt electi, Vt* Huberus *voluit, & nulli hom. s. e. Vt* Athei *volunt, utrinq́; falsa. Verum* medium *in his est, Quidam homines sunt electi. Omnes homines salvantur, & nulli salvantur, falsum. Quidam salvantur, verum. Omnis homo est credens, & nul. est cred. falsum. Quidam est credens, verum. Vbi ergò in Theologicis sententiæ* per Oppositionem Contrariam *enuntiatorum concurrentes sunt, tertio interveniente ut medio enuntiato ad verum & consensum ea redigi posse certum est. Exempla plura* Tr. de Oppositione & Medio religioso *proposita. Arripi autem Contrarias propos. pro Contradictoriis ab Authoribus* c. l. & Tract. de Contradictione, s. 1. Et d. 9. Log. t. 29. *dictum.*

8. III. Ubi vera Contradictoria enuntiata sunt, ibi enuntiatum negans in infinitum negare oportet, Vt nuspiam negationem sistat, sed absolutè in non finiendum eam extendat, secùs Contradictio illegitima est, & disparatum quid aut contrarium evadit, non Contradictorium, *Vt*, Solus *Mahometes pro nobis apud Deum*

intercedit, *Non Solus Mahometes p. n. a. D. in. Omnia bona opera justificant*, *non o. b. o. ju.* Sola *bona opera justificant*, *Non s. b. o. ju.* Solus *Papa est judex Controv. fidei*, *Non S. P. e. j. C. fid.* Sola *terra movetur*, *Non s. t. m.* in merè negando sistendum, nihil affirmati aut disparati subsumendum vel educendum, *Nec dices*, *E. Mahometes cum aliis intercedit*, *E. bona opera cum fide justificant*, *E. Papa cum aliis est judex Con. fid. E. terra cum aliis movetur. Nam Mahometes, Papa, prorsùs non judex fidei est, Bo. op. prorsùs non just. Terra ut communiter sentitur, prors. non mov. E. nec sola hæc, nec cum aliis, id sunt aut faciunt*, *quod de illis dicitur*, *sed planè non. Sic Solus homo est Canis*, *Non solus ho. est Ca. Non dices*, *E. cum aliis est canis*, *quia planè non est Canis*, *E. nec solus*, *nec cum aliis*. Nisi *ita in negando sistas*, *in varia inconvenientia præcipitabis*, *quod plenius* Tr. d. Oppositione, *f. 1.* t. 25. 50. seq. *deductum*.

9. *Hæc* Theologicis *applicata ostendent*, *Contradictionem sæpè exspirare*, *& disparationem aut simile quid succedere.* Sic *Christus est naturalis homo*, *& Christus est naturalis DEus*, *citra Contradictionem sunt*, *quicquid ex terminis sibi Contradictionis exsculpat* Photinista, *& consentiunt in Christo*, *Christusq; utrumq;*, *& naturalis DEus & simul nat. homo est.* Sic *homo est Mercator*, *& doctus*, *Dives & pius*, *Philosophus & Theologus*, *ICtus & Medicus*, *extra Contradictionem sunt*, *& utraq; parte de homine vera sunt.* Sic *forma justifitationis in peccatorum remissione est*, *& in imputatione justitiæ Christi est*, *non contradicunt*, *in utroq; enim forma esse potest*, *& utrumq; ad eam concurrere potest.* Panis *est Corpus Christi*, *& Pan. est Communicatio Corporis Christi*, *non contradicunt*, *Utrumq; enim justo sensu verè dici potest.*

potest. Est corpus, quia medium ejus; Communio, quia hoc ejus in Cœnâ officium est, ut alibi traditur. Et hic ubi negatio prioris esse debeat, in infinitum ea extendi debeat, Vt nuspiam sistatur, quod sæpiùs non fit. Vt, Christus est DEVS, Christus non est DEus, τὸ DEVM in infinitum negando verè priori contradicit. Sed si dicas, est homo, *jam Contradictionem abstulisti, & disparatum pro eâ invexisti, quod cum priore simùl stare potest.* Sic *justitia nostra coram DEO in imputatione est, & non in imp. est, imputationem in infinitum negando, nihil affirmati subsumendo, rectè contradicis.* Sed *si ita neges, ut aliud affirmatum subintelligas, & inhæsionem ponas, Vt sensus, Iustitia nostra in infusione inhærentis sanctimoniæ consistit, diversum, ac utrumq; ex mente quorundam ad eam concurrere sentiri possit, & imputationem justitiæ Christi, & habitus sanctitatis infusionem.* Sic, *hoc animal est hircus, & hoc animal non est hircus, contradicis, si absolutè in infint. negando sistis.* Sed *si affirmatum subinfers, & est cervus, dicis, Contradictionem sustulisti, & disparatum priori terminum adduxisti, qui uterq; de quodam animali verus esse potest, si hircocervus sit, qualis quoddam animal reverâ est, quod & de equibove, Leopardo, Camelopardo, Cervidamâ, Cynalopece, & similibus procedit, Qualia animalia reverâ in natura dantur. Vt* de modis prædicandi f. 2. t. 8. *adductum.* Sic *Christus mortuus est pro reprobis, & Christus non mortuus est pro reprobis, contradicunt. Sed mortuus est pro electis, non contradicit, sed diversum à priore est, cum eo simùl stat, & utrumq; verum est.* Sic *Christus mortuus est pro omnibus, Et non mort. p. o. si τὸ non mori absolutè & infinitè neges, ut nullo modo pro omnibus mortuum asseras, contradicit.* Sed Reform: *certo modo pro omnibus mortuum*

tuum

tuum affirmat, sufficienter nempè, t. 5. Ubi vera Logicaq; Contradictio jam exulat

10. IV. Ubi inter duo Contradictoria medium nostræ ignorantiæ intercedit, & tota res nobis incognita est, neutrum Contradictionis enuntiatum procedit, & per medium interveniens conciliatio aliqua institui potest. *Intercedere interdum tale medium ignorantiæ inter duo Contradictoria* Tract. d. Contradiction. s. 1 t. 53. *ostensum, & exempla probant. Sic de traduce animæ, cum ad non liquet, decurritur, tale medium interponitur. Vt, anima hominis est ex traduce, An. ho. non e. e. tr. Neutrum dici potest, &* ἐπέχειν *eligitur, Vt* Dec. 2. Miscell. d. 3. t. 6. Et Tr. d non liquendo, *dictum. Per hoc duo extrema aliquo modo declinantur. Sic* Mundus *post annum interibit,* Mund. *non p. a. j. Medium, Vtrumq; non liquet, & hoc tertium interjectum verum est.* Mundus 6000. *annos durabit,* Mundus *non 6000. a. d. Totum incognitum est, & dici non potest.* Papa *est Christi in terris Vicarius, Et* Papa *est magnus ille in Ecclesiâ Antichristus,* quibusdam *utrumq; non satis liquere potest, & neutrum extremorum asserent, sed tertium addent, aut non satis adhuc constat, inq; eo sistitur, & utrumq; prioris extremi declinatur, Vt nec ad* Pontificiorum, *nec* Lutheranorum aut Reformat. *hypothesin descendatur.* V. d. med relig. t. 28 *Sic, Photinianis ob errorem de Trinitate anathema dicendum, Et non illis ob e. d. T. a. d.* Arminiani ἐπέχειν *eligunt, nondumq; satis liquere dicunt,* Resp. ad spec. Lei dens. p. 40. Vt de Contradict. c. l. *adduxi. Sic infante infidelium ante annos discretionis mortui aut damnati sunt, aut non, additur, aut totum non liquet, & DEI judicio committuntur.* V. Brochmand. L. C. d. peccat. C. 6. q. 16. *Intelle*

ctu

ctus & voluntas animæ aut idem numero esse cum animâ sunt, aut non, additur, aut totum incertum est, & non satis apodi-cticè dici aut ostendi potest. V. Dec. 1. Misc. d. 4. t. 26. *Ita in occultis morborum causis, & qualitatibus* Medici ac Physici *sæpè ad non liquet, decurrere coguntur, & nec hoc, nec illud recipere audent. Sic, aut ex hoc, aut ex illo morbi Causa, additur, aut totum hoc nondum satis exploratum, sed inter arcana Naturæ repositum est. In mysteriis* Theologi *sæpius ad arcana Cœli confugere, & quædam in cœlestem Academiam differre coguntur, Vt de Vnione personali, descensu ad inferos, &c.* V. Apol. p. Iren. p. 1. t. 2. *Sic de Conceptione Christi* Nicander fest. Annuntiat. p. *1. De aliis* Gregorius L. 3. Moral. Aliiq;. Vt Tract. de non liquendo *patuit,* t. 7. 9. *In his & similibus Conciliatio instituitur, abrumpendo Vtrumq; extremum, & non liquet, arripiendo.* Plura c. I. *circa hoc tradita sunt.*

II. V. Ubi pro Contradictorio disparatum aut diversum adducitur, non est legitima Contradictio, potestq; utrumq; enuntiatum vel verum, vel falsum simùl esse. *Vt Christus est DEus, Christus est homo, Christus mortuus pro reprobis, Christ. mort. pro electis, Cœna in Ecclesiâ publicè celebranda, Cœna etiam in Ecclesiâ privatìm celebranda, ab utraq; parte vera sunt. Contingit scandala venire, Conti. scand. emanere, Homo est peccator, & homo est absolutus à peccato, Ens est unum, & ens est verum, bonum, ubicatum, DEus est bonus, misericors, & DEus est justus, severus, judex, ab utraq; parte vera sunt. Peccatum originis est accidens hominis leviculum, Vt* Strigelius, *& p. o. e. ipsa hominis substantia Theologica, ut* Flacius *voluit, Bona opera sunt necessaria ad salutem, ut* Major, *& b. o.*

sunt noxia a. s. Vt Amsdorfius, And. Musculus, aliiq; *voluerunt*, *DEus omnes homines elegit*, *& Deus nullos elegit*, t. 7. *Iustitiâ inhæsivâ coram DEO justificamur*, *& jus: Dei essentiali justit. Vt* Osiander *voluit*, *ab utraq; parte falsa sunt. Iustitia DEI est ipsa Dei essentia*, *& just. Dei est attributum in essentiâ*, *utrinq; verum. Panis Cœnæ fractio est communionis Corp. Ch. repræsentatio*, *& est ejusprofessio*, *utrinq; falsum.* V. d. Comm. sanct. C. 6. *Et hic loca t. 6. citata.* Omnes *hæretici sunt occidendi*, *& nulli sunt occidendi*, Omnes *libri hæretici abolendi*, *& nulli abolendi*, Quivis *magistratus licitè à Christiano geritur*, *& nullus licitè geritur*, Omnia *bella Christiano licita*, *& nulla licita sunt*, *ab utraq; parte falsa sunt*, *& medium interveniens habent*, *Quidam hæretici occidendi*, *quidam libri abolendi*, *quædam bella licita*, *&c.* V. t. 9.

12. VI. Ubicunq; in termino aliquo ambiguitas significati latet, varioq; modo accipi ille potest, ut sensus enuntiatorum varietur, cessat Contradictio, & conciliari Enunciata possunt. *Super ambiguis enim non stat contradictio*, *ut* Scholastici *dicunt*, *nec ulla Logica operatio*, *Vt* d. 2. Log. t. 22. *adductum. Hoc autem in Theologicis exemplis sæpè usu venit. Sic prædicationes personales*, *DEus est homo*, *& vicissim*, *sunt propriæ scil. proprietate Rhetoricâ & Grammaticâ*, *quia nullam vocem tropicam habent*, *& non sunt propriæ proprietate Logicâ*, *quia ad nullum usitatum prædicabile satis quadrant*, *sed singulares & inusitatæ sunt*, V. d. mod. prædic. s. 1. t. 51. *Sic sunt accidentales latè & analogicè*, *Et non sunt strictè & accuratè*, c. l. t. 32. Et s. 2. t 13. *citra Contradictionem sunt*, *termini enim proprii*, *improprii*, *& accidentalis*, *ambiguè sumuntur.* Sic *potest homo se disponere ad gratiam*, *& non potest se disponere ad gratiam*, *term.*

disponendi

disponendi sensum ambiguum habet, & vel positivè *de ipso cooperando, adjuvando, ac influendo ad internam immutationem*, vel privativè *de obicem aliquem removendo ad antecedens illuminationis, intelligi potest, Vt* L. 2. d. fid. Christ. Et Tract. de Conversione hominis *dicam.* Missa *est verum sacrificium, scil. applicatorium, commemoratorium, repræsentativum, & tropicè dictum, non acquisitorium, propit. & propriè dictum, omnia citra Contradictionem sunt, quia alio & alio sensu termini accipiuntur. Et verum* tàm sub proprio, quàm improprio *esse potest, Vt Christus est vera vitis,* Ioh. 15. *v. 1. Vera lux,* Joh. *1. Verus panis de Cœlo.* Ioh. *6. Omnia tropicè & impropriè.* V. d. modis prædican. f. 1. t. 49. *Et* alibi *dicetur.* Sic *principium Theologicorum est sola Scriptura, Et non est sol. Scri. Principii terminus vel de principio dogmatico sumi potest, unde dogmata Theologica credendorum & agendorum arcessenda, sic antecedens verum.* Vel *Historico, ut de totâ Ecclesiæ historiâ plenè deducendâ, sic non, hic enim principium historicum & traditio Ecclesiastica esse cogitur, unde historia Ecclesiæ ad hæc usq; tempora, annum 1653, à principio mundi plenè deducenda, quæ ex solâ Scripturâ plenè ita desumi nequit, Cum ultra Acta Apostolica & pauca in Epistolis N. T. contenta nihil gestorum in Eccesiâ N. T. in Scripturâ habeamus, quæ tamen multa ac varia esse certum est.* Sic *Scriptura est perfecta dogmaticè, non est perfecta historicè aut numericè, librorum numero, Vt omnes libros olim ad se pertinentes contineat, vel gesta omnia Ecclesiæ repræsentet:* DEus *est homo assumptione humanitatis in Deum, non est homo, conversione Deitatis in carnem, non contradicunt, quia terminum, esse hominem, alio ac alio modo sumunt.* Justificamur *solâ fide, scil. justificatione internâ coram* DEO, *&*

 non

non juſt. ſ. f. ſed & operibus, ſcil. juſtif. externâ & coram hominibus, juſtificationis oſtenſione, Jac. 2. v. 18. *terminum juſtificandi alio ac alio ſenſu ſumunt. Oportet panem in Cœnâ frangere, ideſt, diſtribuere, Et non op. p. i. C. f. hoc eſt, in partes in ipſo Cœnam celebrandi actu comminuere, term. frangendi aliter ſumunt.* Sacramenta *N. T. ſunt duo, & non ſ. d. terminum ſacram. latiùs & ſtrictiùs ſumit, eoq; veram Contradict. non fundat.* Scriptura *eſt judex Controverſiarum fidei, ſc. Canonicus & normalis, & non eſt judex, ſcil. diaconicus, miniſterialis, & interpretativus, qui partes audiat, diſcutiat, decidat, hic enim Eccleſia & Doctcr in eâ eſt.* DEUS *abſolutè quosdam reprobavit, & non ab: rep. terminum abſoluti aliter ſumit. Corpus Chriſti comeditur ore, & non com. ore, l. com. ore alio ſenſu ſumitur,* t. 5. Sic *diſputandum in Theolog. ſemper in formâ Syllogiſticâ eſt, & non d. i. T. ſ. i. f. S. eſt, Vt olim inter* Meiſnerum & Corn. Martini *rixa exarſit, ſine verâ Contradict. ſunt, quia terminus Syllogiſticæ formæ variatur, quæ & pro expreſſâ figurâ arguendi, & pro quavis legitimâ inferendi conſequentiâ ſumitur, Vt* dec. 1. Miſc. diſp. 10. *oſtenſum.* Sic *filius* DEI *dependet à Patre, ſc. ante ſecula, ut originatum ab originante, genitum à gignente, Et non dependet ſcil. in ſeculo, tanquam Creatura aliqua in principio Creata à Creatore, ſine Contradictione, quia term. dependentis ambiguus eſt, Vt in* Metaphyſ. *dictum.*

13. VII. Verum & falſum, ut talia ſunt & manent, non conciliantur, ſed ut falſum quadantenùs immutatur, aliter determinatur, corrigitur, & ad verum propiùs conformatur, Vt ſi non ex toto, ex parte ſaltem ei accedere incipiat. Sic, *Om. homo eſt dives, & null*

null. h. e. d. non conciliantur, sed utraq; parte falsa sunt. Si tamen pro nullus meliorem determinationem ponas, & non omnis, dicas, jam ad verum accessisti. Verum enim est, non om. h. e. d. Sic *Deus vult omnes hom. salvos fieri, Et d. n. v. o. h. s. f. absolutè, sine Conciliatione sunt. Si tamen dicas, vult voluntate antecedente & benevolentiæ, non vult consequente & justitiæ, utrumq; verum evadit, t. 4. 5. Error non fit verus, quà talis manet, sed quà ex parte inflectitur, corrigitur, mutatur, & alius fit. Sic in verum transire potest. Sic curvum rectificari, sed inflectendo, potest. Et sic apertè* Hieronymus ad locum Eccles. 1. v. 15. *Perversum non poterit adornari, in Comment. addit, Nisi ante corrigatur, Et in* Vulgato *Idem, si author ejus est, Perversi difficilè corriguntur, transtulit, in quem sensum &* AbenEsra ap. Pinedam in h. l. *explicuit, Ut remotiùs à nostro sensu dictum abludere videatur.* Sæpè etiam fit, ut non falsum tantùm cum vero, sed & cum falso concurrat, *Ubi medium utriq; interveniens pro vero erit, & extrema resecanda erunt. Ut, Om. homines sunt electi, & nulli h. s. elect. medium arripies*, Quidam *ho. s. el. & quidam non s. el. quod verum.*

14. VIII. Cum non ex toto enuntiata aliqua conciliari possunt, sufficit, si ex parte concilientur. *Sic enim ex parte ad veritatem acceditur, non tantâ distantiâ ac intervallo separari permittitur. Sic si omnia bona opera aliquis justificare ajat, alius nulla justif. dicat, propiùs ad consensum accedet, qui aliqua bona opera, ut caritatis, justificare dicet, quàm qui omnia in universum. Et qui solam fidem justificare dicet, propiùs ad ejus consensum ducetur, qui fidem per caritatem operantem,* Gal. 5. v. 6. *justificare dicet,*

quàm

quàm qui non solam fidem, sed cum eâ & opera ex fide profecta justificare dicet. Sic qui Papam Christi in terris vicarium dicit, propiorem sibi habebit dicentem, Esse primum & summum in orbe Christiano Episcopum, â quo cœteri Episcopi jure humano & præscriptione longi temporis dependeant, quàm dicentem, ipsissimum magnum ac insignem AntiChristum, DEi Christiq; perpetuum adversarium esse. Sic qui bona opera ad salutem necessaria dicunt, propiùs à se abesse dicent, qui homini salvando, etsi non ipsi saluti, necessaria ea ajunt, ut conditiones subjecti salvandi, non causas ipsius salutis, quàm qui noxia ac damnosa prorsùs ad salutem dicunt, t. 11. Sic qui dicit, Christum secundùm utramq; naturam Ecclesiæ adesse, propiorem habet dicentem, secundùm divinam adesse, quàm qui in totum adesse negat, Vt Atheus & Epicureus. Qui panem Cœnæ ipsum Corpus Christi esse dicit, propiùs sibi accedere sentiet eum, qui panem κοινωνίαν Corporis esse dicit ex 1. Cor. 10. Quàm qui signum in Cœlo contenti asserit. Sic qui persvaderi nequit, DEum nullum absolutè à salute rejecisse, propiùs ad rem ducetur, si ei credibile fiat, Judæos, Turcas, gentiles, non absolutè, sed ob incredulitatem rejectos esse, Quàm si nudè dicatur, DEVM omnium salutem velle, nullius salutem absolutè reprobasse. Qui Christ. DEVM ajunt, propiores habebunt eos, qui Messiam & salvatorem mundi, sed hominem ex hominib. dicunt, quàm qui impostorem eum, magum, & Samaritanum cum Iudæis dicunt. Itaq; in talibus enuntiatis in harmoniam ducendis ad sensus propiores elaborandum, ut illis accedatur, quando sententiarum plena identitas vix speratur. In tantum enim consentire etiam utile est, quando in totum non datur. Gradus enim, ut dissensionum & oppositionum, sic & consensionum ac identitatum sun

sunt, Et ubi summa identitas haberi non potest, media ac minor sufficere potest. Sic Christus varia in Apostolis tulit: Nec in hoc orbe omnia ad ungvem secari posse credendum est. Quæ hic objiciuntur, t. 24. 25. 34. solutionem habebunt.

15. IX. In negotio Theologico si ea enunciata concilientur, quibus fundamentalia ac præcipua puncta fidei exprimuntur, satis actum esse censendum est: In secundariis & Scholasticalibus, vel quæstionibus variis circa fidei materias à doctis motis ac ventilatis, plenum consensum postulare aut exspectare, semper plenam Lunam exspectare, & omnes facies humanas ejusdem formæ ac speciei requirere ac postulare est, quod impossibile & vanum est. Vt pluribus L. 1. d. fi. Christ. C. 6. 7. docebitur. Semper enim hic, ut ingeniorum humanorum, sic & sententiarum diversitates permanebunt, plenamq; in omnibus concordiam sentiendi nec requirere, nec exspectare debemus, quamdiu in hoc Orbe degimus. Quænam autem fundamentalia fidei sint, passim variant Theologi. Præcipua Symbolo Apostolico, Cujus reliqua Symbola explicationes & deductiones sunt, contineri plerig; consentiunt, Pontificii, vel Romano Catholici, Lutherani, Reformati, Photiniani, Vt L. 1. C. 4. c. l. docetur. Videatur Tannerus T. 3 d. 1. q. 1. & 7. aliiq; alibi allegati. In his ergò & necessariis horum in Scripturâ traditis explicationibus ut consensus ineatur, maximoperè laborandum. Cœtera vel tandem sequentur, vel ad uberiores explicationes pertinere videbuntur, quas nec ab omni simplice Christiano postulare possumus, nec dissensum in talibus præcisè pro ipso fundamento assignare debemus. Sic Christum passum, mortuum, resuscitatum, sedere ad dextram Patris omnipotentis, in Symbolo extat. Scriptura explicat, quòd in supercœlestibus

id

id regnare sit, 1. Cor. 15. v. 25. *In quo fides simplicis Christiani sistere queat. An secundùm deitatem, an humanitatem, an utramq́; naturam, an neutram ei competat, & prædicatum* merè personale sit, quod personæ ut sic formaliter competat, nulliq; naturæ in specie assignari possit, *Vt cum dico, Christus est persona composita, subsistit in utraq́; naturâ*, V. t. 6. Et d. med. relig. t. 7. *jam accuratiorem notitiam requirit, quæ non omnium esse potest.* Fides *in simplici est doctisq́; & indoctis DEus eam communem esse voluit. Deductio, explicatio, & confirmatio fidei in prolixo esse potest, & eorum est propria, quos DEVS prophetiæ dono instruxit*, 1 Cor. 12. v. 8. 29. C. 14. v. 3. 27. 28. *Quod non omnibus DEVS indulsit, ut pleniùs alibi.*

16. X. An limitationes & respectus enuntiati adjecti, quibus sensus eorum ab unâ vel alterâ parte determinantur, ut sententiæ partium pleniùs percipiantur, & conciliatio commodiùs instituatur, veri finis solidumq; veritatis ferre possint, ad materialem rerum considerationem & discussionem pertinet, *formali Contradictionis per respectum aliquem adjectum tollendæ nihil incommodat, dum aliquâ ratione Contradictionem per id exspirare ostenditur.* Contradictio *in Logicis propriè formale instrumentum Logicum, in omni propositionum formâ adhibendum est, & inter generales propositionis affectiones enumeratur, non speciales & materiales, Vt* de Opposit. s. 1. t. 36. *& alibi dictum. Veritatem autem & falsitatem materiarum attendere, materialis conditio est, quæ in formali consideratione non animadvertitur. Sic affirmans & negans, simplex & composita prop. ex copulâ & dispositione definitur, non attento, an vera, an falsa sit. Sic hic ex formâ Contradicendi ostenditur* mere

limitationem ac determinationem aliquam enuntiato ex mente sentientium adjectam, formæ Contradictionis aliquid adimere, *ad conciliandum viam aliquam sternere, utrumq; enuntiatum certo modo vel verum, vel falsum concinnare, sicq; in conciliando non immeritò inter cœtera attendi & usu adhiberi. Quicquid de vero & falso, necessario & contingente, naturali & præternaturali sit, quæ materiales rerum Logicè spectatarum conditiones sunt, & formalibus nihil præjudicare possunt. In materiali rerum Theologicarum discussione de veritate ac falsitate dogmatum, limitationum, respectuum, & determinationum disceptandum est.* Sic, an hoc verum, *Om. homines sunt à Christo redempti, an illud, quidam, & soli electi sunt à Christo redempti, Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, aut, est pr. p.p. solorum electorum? An gratia efficax convertens homini irresistibilis, an resistibilis sit,* an *gratia justificans novi Test. semel ab homine verè habita inamissibilis sit, an excuti iterùm ab eo possit, & quæ similia.*

17. XI. Vbi omninò enuntiata contraveniunt, videndum, an oppositum enuntiatum omnium omninò hominum in sectâ aliquâ sit, ut nullus sit, qui diversum aut meliùs sentiat, an quorundam tantùm sit, multiq; sint, qui rectiùs ac congruentiùs de eo sentiant. *Quà ratione dissensus particularis non cum totâ, sed quibusdam rigidioribus in sectâ erit, Cum cœteris mitioribus jam in consensum aliquem res traduci poterit. Sic* Lutherani *Scripturam in fide & moribus perfectam & claram ajunt.* Pontificii *eam imperfectam & obscuram dicunt. Hactenùs* Conciliatio *difficilior. Sed tamen multi è* Pontificiis *sunt, qui rectiùs hic sentiunt, & tùm perfectam in fide, quàm claram eam asserunt, Vt* Lyra, Thomas, Scotus, Cameracensis,

Caietanus, Jus Canonicum, aliiq;, Vt L. 2. d. fid. Christ. C. 2. *dicetur*, *Et latè deducit* Gerhardus L. 1. Conf. Cath. C. 1. *Cum his ergò consensus in hoc puncto iniri poterit. Sic de* Missâ *multi sentiunt, Commemorativum, repræsentativum, & applicativum sacrificium esse*, *Vt* Gregorius, Jus Canonic. Glossa ordinaria, Lombardus, Thomas, alii, *Vt multis* idem T. 3. a. 15. *deducit*. *Sic DEum omnium salutem seriò velle, & Christum pro omnibus omninò mortuum esse, hodiè multi* Reformati *docent*, *Vt* Arminiani, Bremenses, Salmurienses, Anhaltini, aliiq;, *Vt* c. l. L. 2 *docebitur. Cum his facilior in hoc puncto conciliatio erit. Rigidiores, qui contrà docent, hactenùs relinquendi sunt, & dissensus supermanens particularis erit.* Item videndum, an oppositum enuntiatum in totâ re sit, an in rei parte. In *tota*, *Vt Christus omnes homines redemit, & Christ. nullos redemit. Christus est Doctor veritatis, & est impostor. Hæc non conciliantur*, t. 14. In parte, *Vt Christus electos redemit & Chr. omnes redemit. Hic ex concessis laborandum est ac non concessa concilianda, & falsum corrigendum est, Vt vero propius fiat*. c 13. 18.

XII. Quæstio de conciliandis dogmatibus, & quæstio de publicè tolerandis illis, ut notorius error publicè ut verus doceri toleretur, prorsùs sunt diversæ, & posterior ex Logicis decidi nequit, unde conciliandi media promuntur, sed Theologica, Politica, & Juridica *fundamenta requirit, ac* rationes status *respicit, unde sæpiùs decidenda. Quod nostri fori & instituti jam non est discutere. Sic* Judæi *alicubi tolerantur, alicubi non. Sic* Pontificios *Elbingæ, Thorunii, Gedani, tolerare oportet, etsi publicus ac notorius error sit, quia privilegio contenti.* Olim

& Judæi Gedani tolerati. Sed postea publico edicto Statuum Prussiæ Anno 1616. 10. Novembr. è totâ Prussiâ exacti sunt. Sive tolerari illud de dogmate, sive minùs debeat, huc propriè non pertinet. Diversum etiam, tolerare jam inventum, & tolerare de novo recipiendum. Non, si illud status Reipubl. requirat, & hoc statim consequi necessum est. De quo toto alibi pleniùs.

XIII. Ubi principia Noologica, Metaphysica, Pneumatica, Ethica, Politica, & similia ad conciliandum adhibentur, benè attendatur, ut & generalia ea sint, & accuratissima, quorum sensus nec instantiâ, nec ullâ ratione infringi possit. Secùs Conciliatio vix solida erit. Sic ex primo Intelligentiæ principio, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, & vicissim, duriores quædam imputationes, deductiones, & explicationes, ex Logico principio de materialibus Consequentiis quædam de consequentiis in Theolog. imputatis conciliari possunt, Vt alibi deducitur, & hoc ipso Tract. patet. Generalitas ergò & accuratio principiorum solidè attendenda.

XIV. Ubi in Theologicis aut aliis materiis extrema inter sententias arripiuntur, videndum, annon medium aliquod inter ea inveniri, illudq; ut verius aut probabilius extremis, arripi possit, & per id utrumq; extremum ut alienum aboleri queat. Fermè enim medium tutius esse solet. Sic Papa generalis Controversiarum fidei judex, & universalis in fide impostor ac seductor est, extrema. Medium, Episcopus primus & ordine summus in Orbe est. Nec judex omnium præcisè, nec in omnibus impostor. Christus summus ille Deus, & merus naturâ homo est, extrema. Medium, Verus & magnus Deus, sed unus Pater

major eo, à quo esse & omnia habet, ac habere agnoscit, Joh. 5 &14. V. d. Comparativ. t. 18. 19. *Scriptura est judex Controversiarum fidei, & Papa est judex*, Medium, *Scriptura propriè norma, ad quam judicatur, & sic judex, Ecclesia autem & Doctores in eâ ad Scripturam judicantes propriè judices interpretativi sunt, non præcisè solus Papa.* V. t. 12. *Plura* Tr. d. medio religioso tradita.

18. His ita de conciliando præmissis *faciliùs patebit, quid ad obices, qui negotio hic obvertuntur, responder debeat. Quos, ut tota res evidentiùs patescat, strictim percurrisse juvabit.* Objicitur I. Dogmata Pontificia, Reformata, & Lutherana in multis contradicunt. *Contradictoriorum autem impossibilis est conciliatio.* R. Si legitimi respectus, *quibus una ac altera sententia accipitur, addantur, non ita rigidè contradicent, sed vel contrariabuntur, vel disparabuntur, vel diversificabuntur, congruaq; limitatione admissâ in harmoniam aliquam compelli poterunt*, t. 4. 5. seq. Vel *utriq parti aliquid veri interdùm subesse apparebit.* II. Falsum vero nunquam conciliatur, Eccles. *1.* v. *15. Et væ inclamatur illis, qui conantur*, Esai. 5. v. 20. *R.* Nempè ut falsum est *& manet, non autem ut meliore modo inflectitur, immutatur, corrigitur*, t. 13. *Locus* Esai. 5. *de vitiis moralibu eorumq; excusationibus & palliationibus, non erroneis sententii loquitur, Vt textus ostendit; Et si de his, quà tales sunt & manent, intelligendus, non quà corriguntur. Sic enim corrig & immutari licitum.* V. *1.* Cor. *6.* v. 7. seq. Jac. 5. v. 19 2. Petr. 3. v. 17. *Locus* Eccles. 1. v. 15. *de eventis & infortuniis loquitur, sic enim curvum ibi sumi solet*, C. 7. v. 14 *Quæ corrigere in nostrâ potestate non sit, non autem, quòd dissidentes sententias nunquam in consensum aliquem trahere lice*

at

at. V.c.l. *Et in sensu specificativo accipiendum, ut falsum, quà tale manet, intelligatur, ut* Author *ipse concedit* p. 9. III. De sententià revelantis *aliquid remittere in potestate hominum non est,* Esai. 8.v.20. C.30.v.21. Gal.1.v.8. *Sed per conciliationem errorum cum vero hoc fieri necesse est.* R. De sententià revelantis *nihil remitti potest, sed de* sensu, *quem una aut altera pars isti sententiæ subesse putat, quemq́ in sententiâ revelantis concipit, & de quo potissima partium est controversia, & qui sequior interdum in sententiâ revelantis esse potest, ac utraq́ pars eum concipit, aliquid remitti possit. Sic de Christi sententiâ in Cænâ nihil remittendum. Sed de sensu, quem in eâ concipit* Lutheranus, Reformatus, Pontificius, *remitti potest, qui fortè à sententiâ Christi plenè justeq́ conceptâ abire, aliusq́ ei sensus congruus subesse possit, quem partes ligitantes ita justè non observârint, sed quævis suo sensui adhærens omni modo eum tutari conata est, sicq́ à sententiâ Christi magis recessit. Sententiæ Christi explicatio ex ipsâ Scripturâ quærenda est, mystica Corporis Christi communio,* V. d. med. rel. t. 51. *& in eâ ut tutissimâ sensus figendus, ac Christiano quiescendum est. Sic de sententiâ DEI,* 1. Cor. 3. v. 15. *nihil remitti potest, sed de sensu, quem verbis subesse* Pontificius *purgatorium post hanc vitam intelligens putat, remitti potest.*

19. IV. Si Lutheranorum & Reform. *discrepantes sententiæ conciliari possunt, & omnes reliquæ sectæ conciliari poterunt cum Lutherismo, Arianismus, Paganismus, Iudaismus, Turcismus, &c. Secundùm magis enim & minùs tantùm distant, quod specificum discrimen non importat. At hoc plenum Samaritanismum & Atheismum invehit.* R. Antecedens non sequitur. *Quædam enim sectæ* toto fundamento *diffe-*

to *differunt, ut Iudaismus, Turcismus, Paganismus, à Christianismo, in his consensus iniri nequit, hic enim fundamentum Christum* DEI *&* *Mariæ filium locat, Isti eum* vel *in totum negant, Vt Iudaismus, Paganismus,* Vel *etsi Prophetam agnoscant, non tamen DEI filium, hominum in negotio salutis redemptorem & mediatorem, Causamq; & Consummatorem salutis eum agnoscunt, ut Turcismus. Inter tales conciliationem quærere, ut* Puccius *olim, impossibile est, sunt enim inconciliabiles. Quædam fundamentum ponunt, Christum,* 1. Cor. 3. v. 11. *Eumq; DEI & Mariæ filium, redemptorem ac Mediatorem nostrum, confitentur. Sed in variis dogmatibus & quæstionibus de eo differunt, ac structuris super fundamento divertunt, quas alii puriores, ut aurum & argentum, alii impuriores, ut ligna, fœnum, stipulas, fundamento superstruunt.* In his conciliatio *aliqua quæritur, & tentari potest. Et in his structuris* quædam tales *sunt, ut propinquè fundamentum convellant, ut* Arianismus & Photinismus, *Deitatem Christi & meritum satisfactorium impugnantes, cum his Conciliatio non procedit, quamdiu tales errores servantur, non corriguntur, aliter determinantur, aut abjiciuntur:* Quædam tales, *Vt non ita propè fundamentum convellant, sed remotiùs, aut illud etiam relinquant, Vt Christ. esse DEum & hominem simùl, Vt* Pap. Luth. & Reform. *Et cum his hic inprimis tentanda conciliatio, magisq;, si in plerisq; structuris multi dissentientium justæ structuræ & Orthodoxiæ sentiendi accedant, quod de* Pontificiis & Reformatis *quibusdam esse certum est, c. 17.*

20. V. Non est conventio *Christi cum Belial, nec luci cum tenebris,* 2. Cor. 6. v. 14. E. *nec falsa fides cum verâ conciliari potest.* R. Nec falsa, *ut falsa est & manet,*

conciliatur,

conciliatur, sed ut corrigitur, inflectitur, & ad veram commodiùs determinatur, t. 18. Quomodo multi dissentientium veritatem sæpiùs fatentur, t. 17. Nec semper distantia sententiarum ut inter Christum & Belial, lucem & tenebras est, Hoc enim de idololythis gentilium & communionne Christi Apostolus dicit, quæ totis fundamentis distabant, ut conciliari non possent, non erroribus Christianorum, qui non omnes ita distant: Sed ut inter Christum puriùs & impuriùs, rectiùs & distortiùs, cum errore aliquo & sine eo, pleniùs & semipleniùs, agnitum ac prædicatum, adeoq; inter Christianum errantem & non errantem, vel utrinq; errantem, ubi aliquid Christi manet, etsi non ita purum illibatumq;, ut esse deberet. Et fundamentum manet, sed structuræ super eo deficiunt Sic Christum DEum & hominem esse Pontificius & Reformatus fatetur, & sic fundamentum aliquod habet. Sed communicationem idiomatum in naturis ita videre ac fateri non potest, hic in structurâ aliquâ fundamento superjectâ deficit. Et in talibus moderatio, reductio, correctio, conciliatio, quæritur ac intenditur. Sic Apostoli in mundano Christi regno errabant. Nec ob errorem talem statim distantia Belialis à Christo inter ipsos fuit, etsi error longè gravior multis Pontificiorum & Reform. erroribus fuerit.

VI. Conglobatio omnium sectarum in unam, tandem Samaritanismi tantoperè exosi & maledicti, 2. Reg. 17, v. 24. 33. Sirac. 50. v. 27. Joh. 8. v. 48. formam sortietur, à quo Christiano potiùs abstinendum. R. Antecedens falsum est, nec tanta distantia semper hic, quanta inter Ethnicam idololatriam & religionem verè Iudaicam fuit, quas in unum conflabat Ieroboam, & Samaritanismus inde ortus, 1. Reg 12. v. 28. seq. Vbi totum fundamentum distabat, unum

Iehovam Cœli & terræ Creatorem colere, & idolorum cultui vacare, ac fictitia numina adorare, Esai.40.v.18. C.44.v. 8.seq. Jerem.10.v.2.seq.11.12. *Inter Christianos autem*, Luth. Pontif. Reformatos, *Deus & Christus ut fundamentum ponitur, etsi postea variantes sententiæ ei fundamento superstruantur*, t.19. *Hoc autem fundamentum in idololatriâ gentilium totum evertitur & annihilatur. Quare conciliationis nulla in eâ cum Iudæorum fide spes est, quæ in Christianorum variationibus interdùm esse potest. Et quòd pacificandi studium, quantùm salvâ veritate, non concussâ aut eversâ, licet, seriò Christianis injunctum*, t.21. *odioso* Samaritanismi *nomine incessitur, cogitandum est, ipsi Christo ab impiis Iudæis nomen tale impactum esse*, Joh. 8. v. 48. *Qui cum ad alia vitia responderet, ad hoc ipsum nihil repesuisse legitur, sed alibi seipsum sub Samaritani imagine adumbravit*, Luc.10. v.33. *Simile quid pacis Viris, & qui super contritione Ioseph intelligunt, patiendum in nefario hoc mundo est. Quòd si Samaritanum est, de mediis tollendorum schismatum cogitare, &* Hutterus, Sigwartus, Meyfartus, Nicol. Hunnius, Vaeckius, Meldenius, *similesq́;* Samaritanismi *suspecti erunt, nam de simili negotio scripta ediderunt*. V. t. 3. *Ipse* Augustinus contra Petilianum *de pace scripsit*. V.t.29.

21. VII. Vaticinia Christi & Apostolorum *de perpetuis in militante Ecclesiâ dissensionibus data sunt*, Luc.2. v.34. Matth.13.v.30. 1.Cor.11.v.19. *Vanum ergò, de transactione omnium religionum tractare aut sperare*. R. Nec omnes dissensiones *extirpari, aut omnes sententias conciliari intenditur, sed fundamentales tantùm. Reliquarum dissensum ad finem mundi mansurum jam* t.15. *dictum est. Itaq́; hæc intentio dictis Christi & Apostolorum non contravenit.*

nit. Et licet dissensiones mansuræ sint, simùl tamen Apostoli monuerunt, paci sedulò invigilandum esse, Rom. 12. v. 16. 18. C. 14. v. 19. 1. Cor. 1. v. 10. 2. Cor. 13. v. 11. Ephes. 4. v. 3. 4. Phil. 2. v. 2. Hebr. 12. v. 14. 2. Tim. 2. v. 22. *Et optârunt eam*, Luc. 10. v. 5. Roman. 1. 15. & 2. Cor. 1. Gal. 1. & 6. Ephes. 6. v. 23. 2. Thess. 3. v. 16. *Ac veritatem & pacem simul diligere & quærere*, Zach. 8. v. 19. *Salem & pacem simùl habere*, Marc. 9. v. 50. *jubemur*, *Et vera fides per Caritatem efficax esse dicitur*, Gal. 5. v. 6. *Vnde pax ab eâ separari nequit: Christus tàm veritas*, Joh. 14. v. 6. *Quàm pax nostra est*, Ephes. 2. v. 14. *Sapientia superna ac spiritualis pacifica est*, Jac. 3. v. 17. *Ac beati pacifici*, Matt. 5. v. 9. *Vbi in Græco* εἰρηνοποιοὶ, *pacem facientes, ut ad pacem disponant*, V. Rostium admon: de Arnt. Christian. C. 2. p. 33. *Et sic etiam* Lutherus *in glossâ advertit. Vnde veram religionem habentes pacificos esse necesse est. Quæ autem DEus conjunxit, & in Christo conjuncta sunt, ac esse debent, homo non separare debet, nec in Christianis disjungi debent. Eoq; & media ad pacem quærere fas est. Sic de vitiis invalituris prædixerunt*, Luc. 18. Matth. 24. 2. Tim. 3. v. 1. 2. Petr. 3. v. 3. seqq. *Et tamen de extirpandis illis sedulò Christianis laborandum, Quod ipsa Scriptura monuit*, Matth. 24. v. 13. 23. seq. 2. Thessal. 2. v. 5. seq. 2. Tim. 3. v. 14. 2. Petr. 3. v. 8. 14. *Vt plurib. alibi. Et sic* Author ipse p. 169. Et resp. ad Dureum, p 398. *agnoscit, præcipi studium conciliandi schismatis etiam notorii, dicto* 1. Cor. 1. *Et generalibus illis de sectandâ pace cum omnibus, quæ ex* Psal. 34. *Et* Rom. 12. 2. Cor. 13. v. 11. *afferri solent.* Nec improbat eorum studium, qui de modo & mediis conciliationis consultant, quin conatus eorum quotidianâ apud

DEUM intercessione seriò & sanctè commendat. *Et* p. 167. *accipit sententiam de restituendo membro luxato in locum suum*, 1. Cor. 1. v. 10. *DEumq́ veneratur, Vt quantocyùs luxata membra in locum suum restituat*. P. 198. *laudatos paulò antè Pacificatores vocat*. P. 327. *Nulli* εἰρηνοποιῶν *præjudicium per suam de irrito* Durei *conatu sententiam creare velle protestatur, nec omni paci & conciliationi viam obstruere*, sed designare & aperire eam, quæ patet, abjectis errorum offendiculis, P. 367. *Ex temporis notâ, denuò, Dureum intelligere potuisse dicit, alios esse præter illos Duumviros*, Dure. & Hallum, *quorum sententias præjudicio suo antevertere noluerit. Sint autem* Theologi Germani, Sveci, Dani, *qui majore fide sudent ad reconciliandam partem illorum cum Româ Apostolicâ, quàm* Hallus *pro Româ irreconciliabili Romam pacificam substituat*. Et Tract. de Correptione, *hoc voto conclusit: Princeps pacis dirigat pedes nostros in viam pacis.*

22. VIII. Quæ Causa impossibilitatis est, *quò minùs universæ hæreses cum Orthodoxâ doctrinâ conciliari possint, eadem impedit, quò minùs nec ulla conciliari possit, nisi hæresis esse desinat. Sic* Augustinus *olim ostendit, Donatistas & alios sectarios nec recipi, nec posse recipi in unitatem Ecclesiæ, nisi abdicato dissensu*. R. Ideò sententiæ corrigi, *certis respectibus determinari, plenè proponi jubentur, Vt Contradictio illis eximatur, & harmonia aliqua concilietur*, t. 4. 13. *Item attendi, an fundamentum per sententiam everti necessum sit, an relinqui possit*, t. 15. 19. *Non conciliari aut conciliabiles esse dicuntur, quandiu crudè oppositæ proferuntur & manent. Et inter errores etiam ingens discrimen, ut unus concilietur, alter non*, t. 20.

IX. Hy-

IX. Hypothesis constitutiva sectæ Reform. est dogma de absolutâ electione *& reprobatione hominum, è quâ tota Theolog. Calvinist. derivatur, & cui doctrina de* DEO, *Creatione, lapsu hominis, subordinatur. Sed hæc hypothesis cum doctrinâ Lutheranâ inconciliabilis est.* R. Hæc *hypothesis non est omnium Reformatorum, sed quorundam*, t. 5. 17. *Vt ipsi* Lutherani *concedunt, qui testimonia in contrarium allegant, Vt* Himmelius in Colleg. Irenico, Meisnerus in Antropol. Ecchardus in fasciculo, Gerhardus in Locis, aliiq;. Hemmingius, Philippus, Martinius, Bullingerus, aliiq; *absoluto decreto in os quasi contradixerunt, ait* Botsac. Antapolog. t. 19. *Et cum rigidioribus* Reformatis *hic consensus non inibitur, sed cum moderatioribus, qui & moderatiùs hypothesin illam de absoluto tantùm DEI jure explicant,* V. t. 5. *Et alias hypotheses magis ad* Lutheranas *accedentes,* Vt *de universali DEI intentione ad salutem, universali Christi merito & vocatione ad Ecclesiam, quantum ad DEI propositum, recipiunt ac defendunt; quales multi inter ipsos sunt, tàm integræ Ecclesiæ, Vt* Arminiana, Anhaltina, Salmuriensis, Bremensis, Polonica, *quàm præcipui Doctores, Vt* Lud. Crocius, Martinius, Willius, Bergius, Amiraldus, Cameron, Josephus Hallus, *qui DEum in peccatis perseverantes reprobasse non absoluto aliquo decreto absq; omni peccati respectu, sed justissimo judicio ait, Vt omnis causa & culpa in homine quærenda sit,* judic. ad Dureum, Cæsar, *qui negat absolutè nos electos aut damnatos esse,* in rettung / p. 89. Aliiq;, V. t. 17. Conf. & Borichium C. 32. Responsi solidi. *Rigidior hypothesis mitiganda, corrigenda, moderatiùs inflectenda est, ut Lutheranæ hypothesi convenire incipiat; Vel* abdicanda ea hypothesis est, *ut*

ad consensum deveniatur: Vel *ex parte concilietur, ratione specialium judiciorum, Ubi nobis ita videatur*, V. t. 5. *Non toto, & in genere de universâ reprobatione procedendo.*

23. X. Calvin. libri Symbolici, Ut variæ Confessiones, *Lutheranos hæresios, idololatriæ, flagitii, postulant, & quòd fundamentum fidei evertant, Et quæ Reformati nunquam revocabunt aut expungent. At cum talibus in fide conciliationem instituere impossibile est.* R. Hoc vitium hominum est, *à quibus utrinq; hic peccatum est, non culpa distantium dogmatum. Ab hæresibus & flagitiis imputandis abstineri oportuit, non illud facilè occupari debuit.* De quo & Helvetii *conqueruntur* in judicio ad Dureum, p. 93. *Et tota hæc* res facti est, non juris, *& dogmatibus ipsis præjudicare non debet. Sic si inter litigantes alter alterum horrendis convitiis impetiisset, non ob id causam eorum in se planè irreconciliabilem esse consequens foret, Cum interpositione quorundam sæpè componatur, sed convitia utrinq; rescindi oporteat. Sic nec de dogmatibus & sententiis id asserendum, quòd hypotheses aut affectus scribentium multa duriùs protruserint, quæ longè mitiùs proponi satius fuisset.* Dogmata hic conciliari quæruntur, non affectus, ausa, aut acta Scriptorum. Tubingenses & Marpurgenses *in nuperâ contentione, quos non errores & hæreses sibi imputârunt? An ideò ipsas eorum sententias inconciliabiles proclamabis? Certè* Affelmannus de statu humiliat: t. 76. seq. Saxonici in Apologi. p. 789. 810. 177. seq. Gerhardus in Compos. pacis, q. 9. J. Martini d. 8. d. Causa peccat. t. 14. aliiq; *conciliare nituntur. Et qui Reformati* Lutheranis *imputant, quòd fundamentum fidei convellant, interdùm ad crassiores hypotheses ac loquendi modos quorundam respiciunt, non ad ipsum*

dogma

dogma æquiùs ex mente docentium consideratum. Sic Confessio Helvetica Corporalem manducationem Corporis Christi flagitium & truculentiam vocat: Sed crassam & Capernaiticam intelligit, non Lutheranam, quæ mediante pane in mysterio fiat. Et ob talem explicationem negant damnandos Lutheranos. V. Bergium in henoticis, Cæsarem in defens. p.57. seq. D Pauli C.15. Reform. Augustani. Sic quidam nostram de gratiâ sententiam Pelagianismi accusant. Sed alii pleniùs eam considerantes negant quidquam de eo illam participare. V. Eundem c.l. Aliud etiam est, errorem ex sese & suis consectariis spectare, quid importet: Aliud, ex mente tenentium eum considerare, quid illi agnoscant aut sentiant, moraliter magis & ex æquo, quàm Physicè & ex naturali consequente eum spectare. Hoc modo ad mitiora inclinandum. Sic ex errore Apostolorum de mundano Christi regno quæ non Consectaria elici potuerunt? Sed quorum tamen reos Apostolos facere non potuimus.

24. XI. Reform. tales hypotheses pro Papismo irreconciliabili fovent, ut Jos. Hallus in Româ irreconcil. quales & pro Calvinismo cum Lutherismo irreconciliabili militant. Vt ratio ultima interpretandi Scripturam tropicè, Controversia de causâ meritoriâ justificationis & salutis nostræ, motu gratiæ divinæ conversioni adæquato, & conservatione ejusdem in fide, universalitate divinæ gratiæ, fundamento fiduciæ Christianæ, & similes. At hæ omnes etiam Lutheranis & Calvin. sunt controversæ. R. Totum hoc argumentum ex hypothesi hominis procedit, adeoq; ad hominem est, Vt Author p.56. agnoscit, non ad rem absolutè ex naturâ sui spectatam, an conciliabilis, an secùs sit, & pleraq; particularitatem DEI circa media salutis ex absolutâ quorundam

dam rejectione resultantem respiciunt, quæ non omnium Reformatorum est, t. 5. 22. Et quod dogma corrigendum censetur, si ad harmoniam aliquam procedi debeat, t. 22. Cum mitioribus, & qui meliùs hic sentiunt, interea consensus aliquis procurari poterit.

XII. Conciliatio ex parte non est Conciliatio, *quia forma rei indivisibilis est, nec in partes secari se permittit, Vt ex parte transactio sit, & ex parte litigatio maneat.* R. Hoc fundamentum *alienè huc detorquetur. Sivè forma indivisibilis, sivè divisibilis sit, de quo variant* Philosophi, *& de sensu Canonis adhuc disceptant, de Corporeis formis quidam negant, sic lapis in partes fractus formam lapidis divisam habet, ait* J. Martini par. Metaph. p. 364. 369. *Et ad formas substantiales axioma constringit* p. 1013. *Vt* & Alstedius p. 1. Metaph. C. 38. Alii *formam materiæ junctam magis & minus recipere, & per accidens ratione subjecti dividuam esse ajunt, Vt* Jac. Mart. C. 9. d. 6. q. 3. Alii *ad formas differenter ac inæqualiter partes informantes restringunt, indivisibiles esse, sed æqualiter informantes dividuas ajunt, Vt formam sanguinis, plantarum, insectorum, Vt* Scheiblerus Top. C. 5. n. 91. *Qui & formas accidentales divisibiles in gradus, ut Calorem, frigus, facit,* n. 89. Alii *formas rationales indivisibiles, brutorum divisibiles ajunt,* Vt Mendoza d. 2. d. anim. s. 4. *Confer & latè* Goclenium p. 3. Miscell. p. 130. seq. Alii *formas elementorum in mistione intendi & remitti dicunt, Vt* Averroes, Philoponus Albertus M. Alii *aliter.*

25. *Verùm quicquid* de generali sensu Canonis *sit, de accidentalibus formis quibusdam falsissimum est, quòd indivisibiles sint. Sic* quantitas *forma accidentalis est, & maximè*

ximè divisibilis, imò radix divisibilitatis. Tempus est divisibile in partes post partes, & ex partium successu aggregatur. Qualitates in gradus intensionis & remissionis, ut calores & frigora, albedines & nigredines, motus & mutationes, similiaq́; Actiones quædam ex variis actibus aggregantur, qui cum non omnes adsunt, actio imperfecta redditur. In Chymicis operationibus variâ actionum successione opus est, solatione, refusione, calcinatione, liquatione, digestione, circulatione, priusquam ad summam operationis deveniatur, Vt Tract. d. esu Eucharistico, t. 23. seq. pluribus dicetur. Quid mirum, in transactionibus unum post aliud conciliari, & in particulares actus transactionem dividi? Hoc processus juridici & transactio Osnabrugensis ac Noribergensis docuerunt, Vbi partes post partes conciliatæ, non summa rei simùl & unâ vice. Sic inter partes actio de damno componitur, actio de injuriâ manet, ut ipse Author p. 124. concedit. Vbi conciliatio quoad unam actionis partem est, etsi altera remaneat. Sic qui in certis hypothesibus conveniunt, in quibusdam autem dissentiunt, ex consensis ad dissensum plenè conciliandum disponi debent, ut in Iren. dictum. Sic in Colloquio Marpurgensi An. 529. inter Lutherum & Zvinglium in omnibus punctis convenit, exceptâ Cœnâ. Sleidanus L. 5.6.&7. Philipp. T.4. Op. f. 512. seq. Nemo Conciliationem ex parte fuisse negabit.

26. XIII. Reform. & Lutherani circa principium dogmaticum, unde proximè generatur & conservatur fides salvifica, ejusq́; applicabilitatem ad quemvis hominem, ut, DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dissentiunt. Quod Calv. Deum non velle dicunt, nec singulis media ad credendum necessaria

dare

dare velle, sed electis tantùm, nec Christum Redemptorem omnibus dedisse ajunt, sed solis electis. Sed qui ita dissentiunt, inter eos impossibilis est conciliatio. R. 1. Non omnes Reformati *hoc dicunt, sed quidam tantùm. Integræ inter eos Ecclesiæ & insignes Doctores contrarium dicunt,* t. 22. *Adeoq; ex mitioribus disponendi sunt rigidiores, ut huic sententiæ assentiri incipiant, & sic & in hoc puncto consensus procuretur. Rigidiores autem secundùm mitiores potiùs emollire, quàm mitiores ex rigidioribus exasperare, primi principii natura docet, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. In nostris enim mitiora non secundùm asperiora exasperata, sed hæc secundùm illa emollita volumus, Vt alibi dictum. Idem ergò & in aliis præstare debemus* .2. *Infantes baptizati non habebunt fidem, hoc enim principium non assequuntur, nec ejus apud baptismum illorum ulla fit mentio, sed nudè in Symb. Apostolicum baptizantur, cujus fidem in baptismo & per illum mirabiliter* DEVM *illis infundere credimus, ut plerumq;* Lutherani *consentiunt. Quare illud principium non absolutum pro fide, sed determinatum pro adultioribus erit, & qui distinctioris notitiæ in fidei rebus capaces sunt. Passum, mortuum, sepultum Christum, in Symbolo est.* Pro omnibus *id præstitum esse, certa determinatio ex Scripturâ adultiori haurienda ac cognoscenda est, quam ab infantibus ita non requiras, qui tamen in baptismo fide donantur, regenerantur, adoptantur, salvantur. Vt pluribus* alibi *tradetur.* 3. Nec Reformati *hoc principium ita negant, ut in infinitum negationem extendant, eoq; verè illi contradicant, quòd demùm verè Logiceq; contradicere est,* t. 8. 9. *Sed ut diversum ejus aut disparatum aliquod ponant,* t. 4. *Hoc autem modo limitatum principium utrumq; enuntiatum, affirmans & negans, verum*

habere

habere potest, quod non in legitimâ Contradictione procedit. Nec omnes id negant, sed quidam, t. 22.

27. XIV. Non solùm id articulus fidei est, quod Symbolo Apostolico continetur, *aut quem nemo salvandorum ignorare potest, sed & illud, quod ex intrinsecâ cohæsione ac dependentiâ dogmatum ab invicem juxta naturam Systematis constat, abstractis concipiendi modis in subjectis, qui variare possunt. Vt, Deum velle omnes salvos, Christum redemptorem totius mundi esse, Corpus Christi in Cœnâ verè adesse, Scripturam origine ac Authoritate divinam esse, & similia. In quorum nonnullis à Calv. dissidemus.* R. Confunditur articulus fidei cùm loco Theologico, *& distincta notitia cum simplice. Dependentias ac cohæsiones dogmatum juxta naturam Systematis nosse, distinctæ ac plenioris notitiæ res est, & quæ literatum magis concernat, qui naturas Systematum ac dependentias scrutatur, de quibus idiota, infans, anus, nihil noverit, qui articulos fidei novisse tamen debent, si salvari velint, Nihil enim sciendo nemo salvatur. Paulus fundamentum Christum dicit*, 1. Cor. 3. Ephes. 2. *De naturâ Systematis aut dependentiâ dogmatum nihil solicitus est. In quantum dogmata dependeant aut non*, Scholasticæ *aut subtilioris disquisitionis est, non articulus fidei, & ad Doctores fidelium, non ipsos fideles, ut sic, pertinet. Propriè autem fundamentalis artic. is est, quem ut necessarium ipsa prima Christiana Ecclesia proposuit & comprehendit, sequensq́; Ecclesia continuato seculorum decursu pro tali tenuit, servavit, & propagavit, qualia extra controversiam puncta Symboli Apost. sunt, à primo seculo ad nostrum usq́; continuâ successione servata & propagata, & quod antiquissimi* Patres *ut fidei Christianæ Synopsin ac regulam tenuerunt & commendârunt, Vt*

ex Ignatio, Irenæo, Justino, Tertulliano, aliisq; *patet*, *Et* L. 1. d. fid. Christ C. 4. 5. *docebitur, Non quem nos ut necessarium per nostras demùm disceptationes constituimus aut promulgamus, quod nostræ potestatis facere non est, & in Papistis reprehendere solemus.* Conf. p. 3. Iren. def. t. 11. E t. p. 4. t. 3. 4.

28. XV. Sæpè pacta jurata à Reformatis violata sunt, *& Lutherani expulsi in Hassiâ, Palatinatu, Helvetiâ, Antverpiæ, alibiq;, Et quomodo in Arminianos in Belgio sævierint, quid Puritani in Angliâ in ipsum regem ausi sint, publica acta docent, Vt eorum transactionibus in fide nihil credi debeat. Sæpè tolerantiæ Lutheranorum per tempora mutatæ sunt, Vt publica scripta & edicta* in Belgio *docent.* R. Hoc statum quæstionis non tangit, *Vbi de modo & possibili conciliandi dogmata quæritur, non quid homines in transigendo servârint aut non servârint, aut omninò patraverint.* Res facti hæc sunt, non juris, *& non ita inter Christianos agi debuit. Ab utraq; parte hic peccatum est, & quomodo Lipsiæ, Marpurgi, Berlini, in Marchiâ, Pfortzhemii in Badensi Marchionatu, ac alibi* Lutherani Reformatos *tractârint, etiam publica* Acta *loquuntur, & Reformati ipsi objiciunt.* V. Fr. de Pegav. c. Zach. Fabrum, n. 6. 7. præf. Hospinianum in Relatione, Castenium c. 99. articulos, Rettung Cassellischen Schreibens / Fontanum in AntiBotf. C. 7. *Vbi varia publica scripta citat, Et utrinq; hic peccari fatetur* Mirus ap. Botf. in Antifont C. 7. *Vbi hæc excusari, defendi, aut conciliari non possunt:* rescindi, ut impia & non satis Christiana facta debent; *& de futuro omitti, ac meliora eorum loco occupari. Quomodo in Prophetis aliisq; talia legimus.* Tandem ut Christiani cum Christianis transigamus, *si hactenùs ut vulpes;*

leones;

leonis, lupi, egimus. Id publica calamitas nostri temporis postulat, Id DEO placebit, & commoda sat multa nobisipsis apportabit. Agat utraq; pars, ut in Colloq. Marpurgensi conclusum fuit, & una pro alterâ oret, ut Deus ultrà intellectum irradiare velit, & velut Christiani agent, non si odiis & persecutionibus se invicem lancinent. Idem de actis Synodi Dordracenæ procedit, quæ omninò facti, non juris fuerunt. Tolerantias per tempora mutari, inconstantiam hominum arguit, & vitia subjectorum importat, non impossibilitatem quorundam dogmatum conciliandorum demonstrat. Sic quòd Belgæ cœteras à Ref. religiones tantùm tolerent, nullam immunitatem concedant, quotidiè concessa evertere possint, non ut pares suæ, sed ut inferiores habeant, quæ ut loligo censeri & supprimi debeant, Vt Idem author Dedic. Dialys. c. Calixt. p. 59. 60. seq. queritur, omnia facti & exempla hominum sunt, & ad nostram rem de dogmatibus conciliandis nihil faciunt: Idem in Reformatis Lutherani faciunt, ubi superiores sunt, ut exempla varia docent. Premunt, infestant, templa auferunt, tantùm tolerari docent, aguntq;, ut possunt. Nec credam, quòd Elector Saxo in tantum in suâ ditione Reform. toleraturus sit, quantum Belgæ Lutheranos, ut templa de novo extrui illis permissurus sit.

XVI. Si consensus aliquis dogmatum ineatur, quis ratihabebit transactiones, quis videbit, ne aliæ Ecclesiæ dissentiant, & ne majus incendium indè oriatur, quàm transactione commodum allatum sit? Vnde consensum Regum, Principum, Magistratuum, Doctorum, super hoc promemus? Quis cautionem de rato præstabit, non impugnatum iri à sociis ea, quæ inter partes transacta? Sine his enim nihil solidi hic conciliari poterit. R. Hæc in civilibus ac mundanis trans-

actionibus requiri solent, ab Ecclesiasticis aliena sunt, Vbi veritati, paci, caritati, cedere jubet Conscientia, & benè transacta ratihabere mandat DEVS Deiq́ verbum, t. 21. Propriaq́ cujusvis Christiani Conscientia eò manuducet. Conf. Iren. defens. p. 3. t. 2. Et p. 4. t. 8.

29. Christus & Apostoli *exemplo præjerunt, novumq́ fœdus annuntiârunt, filios* DEI *dispersos in unum aggregârunt, omnia nova facta dixerunt, pacem domui Iacob obtulerunt, annuntiârunt, contulerunt, Cautiones de rato nuspiam postulasse leguntur. Ipsa rei æquitas, dignitas, necessitas, utilitas, & extensio ac diffusio Controversiarum in infinitum, deminuendo, contrahendo, ac conciliando suadebit, incitabit, consentire imperabit, consensum meliore modo acceptare & ratihabere movebit, pius etiam* Magistratus *pro commodo Christianæ Ecclesiæ sedulò vigilabit, Vt c. l. dictum. Et ut Christiani hic contrahimus, non Politici, ac Christianorum ratihabitio jam* 1. Tim. 6. v. 3. 4. *scripta est, quam qui non recipit ac ratihabet, non Christianus est.* Cum non Christianis autem & atheis nihil contrahi intenditur, *sed relinquuntur, & cum Christianis quibusdam tantùm hic agitur, quos religioni Christianæ non malè velle persuasum est, Vt benè* Calixtus d. art. nov. p. 167. seq. Et Augustini *quoddam c. Petilianum hic cogitandum*, V. t. 36. *Quanquam de multis Christianis illud* Jacobi *usurpes*, Gen. 49. v. 5. 6. Fratres Simeon & Levi, vasa iniquitatis bellantia. *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea. Et huc dissensiones quorundam metuendæ* p. 173. seq. *pertinent, quæ vitia hominum sunt, non impossibilitates objectorum & materiarum. Ac plenum totius Orbis consensum exspectare aut impetrare nihil attinet. Sufficit,*

cum

cum unâ sectâ aut potioribus illius sectæ Ecclesiis transigi. *Quomodo* Evangelici in Poloniâ in Consensu Sendomiriensi *transegerunt, non adscitis aliis Ecclesiis Reformatis in Belgio, Galliâ, Angliâ, Germaniâ.* Satis, *si particularis transactio impetretur, quando universalem procurare impossibile fuerit.* Satis *etiam, si in præcipuis ea ineatur, quando simpliciter in omnibus sperari vix potest*, t. 14. 15. *Huc & ea pertinent, quæ de affectibus & passionibus animorum sæpè objecta conciliorum pervertentibus*, p. 175. seq. *adferuntur. Quæ omnia vitia hominum & subjectorum sunt, & à Christianis procul esse debent, qui DEum, Dei verbum, Ecclesiam, rem, veritatem, & pacem ac caritatem respicere debent, non privata odia, respectus, commoda, rationes statuum, vias mundanas, & similia. Quæ omnia rei ipsi nihil præjudicare debent aut possunt.*

30. XVII. Status religionum & rationes status Politici in hoc mundo jam ita connexa sunt, *ut alterum sine altero immutare non liceat, indeq; conciliationes, tolerantiæ, & admissiones religionum sæpè dependere necessum habent, Vt in Belgio, Galliâ, & Germaniâ patet. Hinc autem valida obstacula transactionibus sectarum depromi possunt.* R. Hæc pleraq; Politica sunt, *& reformationibus religionis* Hussi, Waldensium, Lutheri, Cinglii, *etiam obverti potuerunt, quomodo* Episcopus Salisburgensis *Philippo conscientiam subindè ingeminanti*, was *Conscientz, respondit*, der Käyser wird *conturbationem publicam* nicht leyden/ *Quibus tamen non obstantibus Reformatio perrupit, Papismus vacillavit, religio mutata, novaq; in religionem consensio, Confessio, & transactio successit. Et connexa sunt, status religionis ac status Politicus:* Distincta tamen & diversa, *nec unum alteri*

alligatum

*alligatum esse tenetur. Aliud jus fori, aliud poli, Conscien-
tiæ & Politiæ, Oraculi & seculi, & ut Magistratui obe-
dientiam, sic* DEO *conscientiam debemus*, Actor. 5. v. 29
XVIII. Etiam per legitimas *Consequentias in Theologici
agendum, ubi amplissimus disputandi campus aperietur, &
transactionis negotium gravem difficultatem patietur.* R. Con-
sequentiæ *non sunt unius generis, vel ex præmissis Biblici
sunt, vel per aliud indè eductæ sunt, Vt ipse* Author p. 19
*concedit. Si manifestissimæ sunt, Vt, Om. homo est pecca-
tor, E. & hic, ille, iste, procedunt, & imputari possunt. S
obscuriores, cautiùs in illis procedendum, & fiduciæ funda-
mentum non ita submovere censendum est, Vt* Idem dis. c
dogmat. necess. t. 15 *16. deducit.*

31. *Sed* quædam *in Theologicis, de quibus inter pa-
tes disceptatum est, dubiæ, obscuræ, insufficientes, partic-
lares, incertæ sunt, & variis Adversariorum instantiis subj-
ctæ sunt, quibus per consequens ita tutò confidi non potest, &
per has ad imputandum aliquid alteri cautè procedendum
Vt,* Qui *per modum dextræ DEI regnat, substantialiter præse
regnat,* Reformatus *incertum habet, & minoris subsumpti-
nem, Christus homo vel secundùm carnem, de novâ determ-
natione non in majore præmissâ, infestat.* V. Dec 1. Misc.
7. t. 14. 15. *Quicquid in infinitam hypostasin tractum, ext
omnem locum subsistit, etiam negabunt.* Giessenses & Tu-
bingenses *quas non consequentias sibi imputârunt? Altera
pars perpetuò eas negavit.* Sic *multas consequentias Ponti-
ciorum de primatu Papæ, infallibilitate ejus, purgatorio, I
dulgentiis, satisfactionibus, pœnis temporalibus post culpas r
missas restantibus, transubstantiatione, quas ipsi evidentes h
bent, nos negamus, & vim sequelæ non videmus.*

32. Quædam exempla ab Authore adducta *evidentia quidem sunt, Cum subsumptione particularis sub universali constent, eoq́ dici de omni expressè habeant, quod principium Consequentiæ Syllogisticæ naturali judicio manifestissimum est, ut in Logicis docetur, Vt, DEus vult omnes in universum salvari. E. & me, te, illum. DEus non vult ullum perire. Quare nec me, te, aut illum Ex hypothesi tamen* Reformatorum, *usuq́ Scripturæ in voce* omnis, *quo sæpè omnis generis aliquid notat, Vt* Gen. 2. v. *16.* C. 24. v. 10. Exod. 9. v. 6. Joel 2. v. 28. Act. 2. v. 17. 39. Matth. 4. v. 23. C. 5. v. 11. Luc. 11. v. 42. Act. 10. v. *35.* Rom. 7. v. 8. C. 14. v. 2. 1. Cor 9. v. 22. C. 10. v. 25. Jac. 3. v. 7. *Et* Logicorum *attestationibus, quo τò omne modò collectivum, Vt, Om. Apostoli sunt* 12. Modò *distributivum in genera singulorum, Vt, Om. animal fuit in arca Noe, hoc est, omnis generis animal,* Modò *determinativum simplicem, non personalem sensum, Vt, O. ens est adæquatum objectum Metaphysicæ, Om. Corpus naturale Physicæ, Vbi non licet quodvis ens aut Corpus in particulari subsumere, Modò alium sensum habere dicunt.* Philologorum *etiam usurpatione, quâ omne præcipuum notat, &* Patrum *quorundam consensu, qui universitatem fidelium, Ecclesiæ, filiorum DEI, electorum, agnoscunt, unde suum sensum hauserunt* Reformati, *dubia facta est illa evidentia, & res in disceptationem tracta, inter partes adhuc controversa est, ac disputatione opus habeat, priusquàm ad finem deveniatur, hinc evidentia ista non ita patere potest. Controversa enim inter evidentia referre incertum dicunt* Philosophi, *qui de evidentiâ variè adhuc disceptant, variosq́ ejus gradus agnoscunt, Vt* alibi *docebo. Pro meâ quidem hypothesi illud de universali DEI voluntate, Christi merito, & intentione*

vocandi, recipiendum est, & oppositum reprobandum, ac præcipuam omnium Controversiarum cum quibusdam Reformatis *hanc unicam censeo, quâ obtentâ varia dogmata consequentia spontè ruitura arbitror: Quia tamen nondùm res ita disceptata est, ut ab utraq; parte assensum meruerit, sed arma utrinq; adhuc expediantur: Inter seriò discutienda, ac judiciosè expendenda reponendum erit, periclitandumq;, an solidâ discussione hypothesis ea nonnullis* Reformatis, *nam quorundam jam hodiè est, t.17.22. inseri, & opposita evelli possit. Quod priusquam factum, de evidentiâ neutram partem satis apertè præsumere posse, æquum existimem.*

33. *Quòd* p. 190. forma Syllogistica & χέσις *terminorum inter se pro æquipollentibus habentur, Logico usui contrarium est. Forma enim Syllogistica terminorum dispositio est, quæ in terminis falsissimis & nullam χέσιν ad se habentibus procedere potest, & vim ipsius illationis in sese attendit, quicquid de χέσει terminorum sit, ac legitima illa esse potest, ut Schesis prorsùs illegitima sit. Vt, homo est brutum. Canis est homo. E. Canis est br.* Quæ forma *est necessaria ex talibus terminis, etsi termini in sese falsissimi sint* Schesis autem terminorum materiæ conditio est, *& materialem respectum importat, ac consequentiam terminorum qui materia Syllogismi sunt, ex significatis suis materialibus attendit, verenè inter se combinentur, an alienè. Vt, Rationale est docile. Homo est rationalis. E. docilis. Vnde & Consequentia* partìm formalis est, *ex vi dispositionis etiam in materiâ falsissimâ procedens*, partìm materialis, *ex vi materiæ in dispositione propositæ ejusq; connexione vel remotione procedens, Vbi materiam semper veram esse oportet. Etiamsi formà & dispositio absurdissima sit. Vt, Leo est ani*

ma

mal rugiens. Canis non est leo. E. non est an. rug. Vel, Quoddam corpus est an. rug. E. qu. corpus est leo. Et hoc discrimen cum Rameis negligere aut convellere injuriam toti operationi Logicæ illativæ infert, ac quæ diversissima sunt, confundit, Vt d. 10. Log. t. 21. dictum est. Distincta enim distinctè tradenda sunt, non confusè, & distinctis intellectus juvatur, non confusis, ut Intelligentiæ principium habet. Notiones secundæ à primis, realia à notionalibus, formalia à materialibus distinguenda sunt. Forma & dispositio Syllogismi mera notio secunda est, materia reale quid & notio prima est. Quæ qui non distinctè proponit, è variis difficultatibus se expedire non poterit. Vt, Animal est genus definiendi hominis. Homo est animal. E. homo est genus defin. hom. Genus est notio secunda. Animal est genus. E. animal est n. sec. Docilem esse est proprium hominis. Homo non est proprium hominis. E. non docilis. Vbi perpetuò notiones primæ cum secundis confunduntur, de quo in Elenchis Sophisticis sub titulo Elenchi accidentis moneri solet. V. Scheibler. d. Syll. C. 17. n. 40. Confer. Dec. 1. Miscellan. d. 8. t. 14. Et Tr. d. modis prædican. f. 1. t. 60. Et d. 11. Log. rep. t. 8.

34. XIX. Modus conciliandi in Theologicis ex parte, ut ex parte falsum supermaneat, t. 13. 14 Illicitus ac vanus est. Oportet enim hic aut totaliter cum Christo sentire, aut totaliter ab eo dissentire. Qui enim non cum Christo est, contra ipsum est, Luc. 11. v. 23. Et Neutralistas ac Conciliatores, ut tepidos, Christus exspuere vult, Apoc. 3. v. 15. Rund und rein alles geglåubet / oder nichts geglåubet / Vt ex Luthero p. 525. Author loquitur. Et qui non credit DEum eo modo, quo in verbo se revelavit, is idolum & figmentum cerebri sui pro DEO colit, non autem DEVM, Vt Calvi-

nus L. 1. Inst. C. 4. ex Rom. 1. & 2. *deducit.* E. *nullius pretii hoc conciliationis negotium.* R. Aliud est, *cum Christo esse aut ei adversum esse:* Aliud, *enuntiata Logicè conciliare, aut modum conciliandi Logicum quærere & ostendere, per quod nec ad Christum præcisè acceditur, nec ab eo receditur, vel ei contravenitur. Sic arguendi modos Logicos tradendo, inferendo, ordinando, educendo, naturæ vim scrutando & cognoscendo, nec ad Christum accedes, nec ei præcisè contradices. Luminis Naturæ ac intellectus cultus & operationes hæc sunt, per quas nec spiritualiter ad DEum accedis, nec ab eo recedis, vel ei contrariaris.* Vt d. not. nat. C. 4. t. 4. 5. Et Coronid. Logic. Ac de Cognitione humana, & alibi dixi. *In Spiritualibus rebus fori spiritualis, qui non cum Christo est, contra illum est. Sed hic in civili, rationali, & Logico negotio versamur, in quo luminis Naturæ ductum sequimur, nec cum Christo, nec contra eum præcisè esse tenemur.*

35. Deindè, *qui non est cum Christo fundamentali ratione, is contra illum est. Sed qui ex parte & funda: illâ ratione cum ipso est, etsi non omnium gnarus sit, aut in nonnullis hæsitet, is etiam cum Christo, non ei adversus est. Nam & linum fumigans non vult extinguere,* Esai. 42. v. 3. *Et gradus ac diversitates fidei, cognitionum, scientiarum, adhæsionum sunt, majorq; ac minor ea esse potest. Sic Apostoli ex parte adhærebant Christo, confitendo Dei filium, Vnde Petrus expressè beatus dicitur,* Matth. 16. v. 17. *Et amici Christi Apostoli vocantur,* Joh. 15. v. 14. 15. *Et langvida cognitio de Christo etiam vera est: Sed quà regno mundano detenti erant, non adhærebant ei, Vnde Petrus Sathanas, scandalum, & carnalia sapiens audiebat,* Matth. c. l. v. 23. *Nec tamen prorsùs hostes aut adversarii Christi erant. Nondum enim plenè omnia comprehendere valebant. Simile de Nicodemo,*

Joh. 3. *Iosepho*, Joh. 19. v. 38. *Et primoribus non confitentibus*, Joh. 12. v. 42. *Quos verè credidisse plerią Theologi censent*, Mentzerus, Fewrbornius, Meisnerus, Affelmannus, aliią; V. T. 7. Gies. d. 14. t. 59. seq. Conf. Theophylactum in C. 8. Lucæ, *Catechumenis & aliis habendum*. *Sic quid: Patres Chiliasmum tenentes, Quorum fides imperfecta, ex parte vera tamen, eoą Christo non adversi ipsi. Satiusą est cum errore aliquo Deo credere, quàm prorsùs atheum esse, & nihil credere.* Similiter *qui non credit DEum, prout se in verbo revelavit, scil. ullâ ex parte aut modo, ne in summo quidem fundamento, is figmentum capitis pro Deo colit. Sed qui* aliquâ ex parte *credit, etsi multa ignoret, in quibusdam hæsitet, quæ etiam revelata putat, & scrupulo in Conscientiâ teneatur, is tamen DEum credit, etsi non eo gradu ac puritate, quâ deberet. Sic Apostoli verum Deum credebant, Patrem illum Dn. n. I. Christi. Et Christum filium ejus proprium: Sed* deindè ex aliâ parte *regnum mundanum Christo tribuebant, Vbi falsi quid vero admistum erat, quo verus ille DEus everti poterat: Pars tamen veri manebat. Sed* Antropomorphita DEO *Corpus tribuens, ipsum summum fundamentum, Deus est Spiritus*, Joh. 4. *negat, & non DEum, sed cerebri sui idolum colit. Ita in veteri Ecclesiâ quidam Christum DEI filium, Messiam & mundi Salvatorem credebant, sed per naturam DEum esse non credebant, & cum illis tamen communio tempore* Justini *habita*, t. 14. 37. *Vbi pars veri fuit. sed non plenum & totum. Satius tamen, & partem de eo habere, quàm prorsùs nihil*, V. t. 14. *Dictum autem*, Luc. 11. *ab eodem Evangelistâ* C. 9. v. 50. *explicatur.* Qui non contra nos est, pro nobis est. Doctrinam autem Logicam de conciliando tradere, *& exemplis Theo-*

logicis illustrare, Christo adversum esse nequit. Igitur pro ipso erit. Multum etiam differt, tepidum *& neutralistam in ipsâ fide esse, quod* Apoc. 3. *reprehenditur, (si locus præcisè de credendo loquitur, non tepidi* in caritate ac operibus remissi *intelligi possunt, ut ad sententiarum fervorem non quadret, Vt* multi *explicant,)* Et in variis difficultatibus *à Christianis motis prudenter rem æstimare, discutere, disceptare, præcipitantiam cavere, assensum ad tempus suspendere, Vt in multis agendum, in quibus* τὸ ἐπέχειν *& non liquet, arripiendum,* t. 10. *Quod prudentiæ Christianæ est, non tepiditatis. Sic Corinthij judicare jussi,* 1. Cor. 10 v. 15. *Christiani scrutari,* Joh. 5. v. 39. *Berhoenses quotidiè inquisierunt,* Actor. 17. v. 11. Augustinus *variis gradibus ad conversionem ductus, ut in libris Confessionum describit, &* Tr. de Convers. C. 8. docebo. *Sic hic jubentur varia solidè inquiri & considerari, non præcisè falsa retineri aut veris adjungi, sed corrigi,* t. 13. 18. *Conciliandi autem modos quærere aut tradere res Logica est, quam insulsè neutralitatis aut tepiditatis nomine in Theologicis diffames. Nam & ita agere Scriptura docet,* t. 21. *Et varii* Theologi è Lutheranis *egerunt, quos absurdè tepidos proclames. Potest quis in verâ sententiâ certus fixusq; esse, Vt tamen & de oppositâ sententiâ ex parte conciliandâ cogitare incipiat.* Et Conciliatio ex parte etiam est Conciliatio, *Vt* Transactiones Politicæ *per partes succedentes docent,* t. 25.

36. XX. Omnia negotia *pacificatoria in Religionibus frustranea ab omnibus partibus fuerunt,* Pontificiis, Lutheranis, & Reformatis, V. t. 3. *Nullumq; res successum habuit. Vide, quid* Melanchton *de Constantii conciliatione in Synodo Syrmiensi scribat,* in epist. p. 188. *E. nec jam de*

de successu præsumendum. In vanum autem laborare temerarium & inconsultum est. R. 1. Etiam multæ adhortationes Prophetarum, Christi, Apostolorum, *successu caruerunt, & homines magis se contra eas indurârunt, Vt tot querelæ Prophetarum & Apostolorum docent. Nec ob id desierunt illi, nec negotia vana fuerunt, sed homines magis inexcusabiles redditi sunt, & DEI longanimitas clarius enituit. Sic* Propheta *queritur, Inaniter laboravi, Vanè fortitudinem meam consumpsi. Sed idem sibi respondet. Veruntamen officium meum penes Iehovam, & opus meum penes Deum meum est*, Esai. 49. v. 4. 2. De simili Augustinus *jam olim respondit* c. Petilianum, Sapitisnè aliquid inter verum & falsum, divina *prædicta & humana præsumpta, Causæ actionem & aversionem discernere? Si sapitis, benè & rectè: Si non:* Nos vestri curam gessisse non pœnitebit. Quia etsi cor vestrum ad pacem non convertitur, pax tamen nostra ad nos revertitur. *Nec Christi pax Apostolis injuncta in omni domo successit*, Matth. 10. v. 13. *Nec ob id vana fuit, Sed ad ipsos Apostolos rediit*, c. l. *Idem* Augustinus cont. Cresconium L. 1. C. 6. *disceptationem cum* Cresconio *non sine fructu fieri docet, tametsi eventus doceat, infructuosam exspirasse disceptationem, ex mandato tamen Christi etiam non audituris prædicandum & instandum esse. Quod &* Author p. 313. *allegat.* 3. Apud *moderatos & prudentes, ubi pacificandi negotium ex principiis & hypothesibus utrinq; concessis, reliquisq; necessariis prudenter observatis, susceptum fuerit, de quo* t. 4. seq. In Irenico, Apologiâ, & Lib. de fide Christianâ *pluribus actum, non sine successu erit, quicquid de impiis & atheis sit, ob quorum impietatem & pertinaciam bona non intermittenda sunt, & cum*

illis transactio non instituenda est, t. 29. XXI. De scopis & intentionibus Pacificatorum etiam magna varietas est, *incertumq́, annon eorum consilia Principum consiliis subordinari debeant, de quorum intentione Acta Conventus Francofurtensis an. 1634. Et formula fœderis Heilbronnensis typis edita docent, ac quædam de eo* Duræus in Inform. p. 176. 177. *adducit.* R. Quia *totum hoc incertum, nequit de eo specialiter disquiri aut constitui, Vt ipse* Author p. 203. *benè fatetur.* Politica *hic aliena sunt, ubi Ecclesiastica intenduntur*, t. 28. 29. *Fore tamen & transactionem in Controversiis Theologicis aliquam ipsis Politiis utilem, dubitari non debet.* Hic inprimis natura rei, conciliandi possibilitas & via attenditur, non scopus horum aut illorum pacificantium. *Qui tamen apud bonos Christianos malus esse non potest, & cum infidelibus aliquid conciliari non quæritur* t. 29. *Quòd Politicæ uniones cum transactionibus Ecclesiastici sub eadem tempora simùl inciderint, de quorundam scriptis an* 1604. 607. 10. 12. 14. 15. 17. 19. *Vbi* Responsum soli dum *prodiit, in quo* C. 2. *etiam multa de pace continentur verum esse potest.* De Junii, Cassandri, Wiceiii, *& similium scriptis non procedit, quæ longè priora.* Et quid h aut illi *intendant, ad conditiones subjectorum, in quibus defectus intercurrere queant, non naturas rerum aut conciliationum pertinet, de quibus hic disquiritur.* An per id contra Papam conjunctim stare intendendum sit, *etiam incertum est; ut maximè quibusdam pro scopo fuerit.* Salus & pax *Ecclesiæ Christianæ, melior toleratio dissensionum, benignior* explicatio *sententiarum, & similia hic suprema lex & scopus esse debent, ubi Ecclesiastica aguntur & intenduntur, non civilia*, t. 28. 29. *Quicquid de reliquis sit, quæ forinsecùs*
accedun

accedunt, eoq; inter accidentaria meritò referuntur. *Cum* Papistis *unum Corpus in Romano Imperio faciunt* Evangelici. *Non debent membra unius Corporis adversùs se stare, & se munire intendere, si Christiana esse velint, sed potiùs se juvare, sublevare, & conservare. Nec se invicem membra rodere ac persequi æqvum est,* 1. Cor. 12. v. 12. seq. *Bella ipsorum utinam adversus Turcam & infideles suscepta ac continuata fuissent!*

37. XXII. Omnia exempla *conciliatorum olìm dogmatum talia sunt, ut dogmata ipsa in se conciliabilia fuerint, quod de controversis inter* Reform. & Lutheran. *dici nequit. Vel non vera conciliatio fuit, sed tolerantia tantùm.* R. Si fundamentalia *dogmata conciliari possint, sufficit, etiamsi in reliquis dissensio maneat,* t. 15. *Et dogmata plenè ac sufficienter ex mente docentium proposita verâ Contradictione excidere, eoq; conciliabilia esse* t. 4. seq. *ostensum.* De tolerantiâ dogmatum, *quòd vetita in sacris sit, aliud est, quæ & eorum esse potest, cum jam recepta sunt, quæ non conciliabilia sunt, Vt Iudaismus & Christianismus,* t. 19. 20. *Quæ simul in locis quibusdam tolerantur. Hic autem tantùm de conciliandis dogmatibus, non tolerandis, disceptatur, sive tolerari possint, sive minùs, satis pro hoc scopo est, quædam non omnem reconciliationem respuere, hic ostendi.* Conf. th. 17. *Quæ de Symb. Apostolico* p. 216. seq. *adduntur,* t. 27. *jam explicata sunt. Prisci sanè* Patres *ad id, velut ad fidei regulam passim provocârunt, faciuntq; id & ex hodiernis* Lutherani, Reformati, Arminiani, Photiniani *Communiter, ut* L. 1. d. fid. Christ. c. 4. *ostendam.* XXIII. Veteres Patres, *ut* Cyprianus, Augustinus, *communionem negârunt hæreticis longè viliùs à se dissentientibus, quàm Calvi-*

nistæ

nistæ à Lutheranis dissident, ut Semipelagianis, Novatianis, Donatistis. Et Johan. Hierosolymitanum, Ruffinum, Vigilantium, *communione indignum censuerunt, Schismaticos etiam à communione rejecerunt, etsi in fundamento consentirent, donec ad unitatem Ecclesiæ rediissent.* R. Vel hæc & similia *facti sunt, non juris: In civitate DEI autem regulis judicatur, non exemplis:* Vel *particularia sunt, ac Patres Patribus opponi possunt, & de primis Patribus diversum habetur, ut cum Communionem etiam cum iis, qui Christum naturâ merum hominem dixerunt, servandam censuerunt, Vt* Justinus Martyr, t.14.35. *Non negassent fortè eam Novato, Donato, Vigilantio, Ioh. Hierosolymitano, & similibus, Si tàm vilis error eorum, non aliundè quid fortè obstitisset: Et quàm simplicissimè primi illi Patres fidem Christianam æstimaverint, è scriptis eorum patet, &* L. 1. d. fid. Christ. c. 3, *docebitur:* Vel *quibusdam communio negata, quòd ipsi se ab Ecclesiâ separassent, & peculiares cœtus constituissent, sicq; publico Schismate Ecclesiam sine solidâ causâ turbassent:* Vel *particularia hæc sunt, nec omnium, nec perpetuorum temporum, sed quorundam:* Vel *vitia morum & vitæ simùl concurrerunt, quæ communionem prohibuerunt, &c.*

38. *Sic de* Johan. Hierosolymitano *exemplum tantùm Hieronymi est, qui scriptor atrox & stomachabundus est, Sæpeq; extra orbitam Caritatis Christianæ decurrit, & quem nulli se ad modestiæ exemplum proponere* ipse Author p. 159. *ait.* *Imò* Lutherus *ait, Hieron.* ist ein Ketzer gewesen / p. 478. Tischred. C.30. Ipse Hieronymus *se patrem, matrem, fratres & sorores dentibus laceraturum juravit, si inter hæreticos eos reperiret,* ep. ad Joh. Hierosol. *Vt* Idem Author præf. Dialys. con. Calixt. p. 47. *narrat. Qui Zelus*

sane

sanè non Christi aut Apostolicus est, & quem nemo in Christiano probare potest. Et *iste* Johannes *erroribus* Origenis ac Arianorum *infectus fuisse dicitur, & ab illis se purgare jussus, magis suspectum fecit, quare* Hieron. *ab ejus communione abstinuit, ut* Lutzenburgensis in Catal. hæret. *docet.* De Ruffino *idem est, &* Origenis *defensor extitit, qui Arianis in multis favisse creditur.* Pamphili *enim Apologiam pro Origene defendit. In quo in specie errârit, nondum deprehendere satis licuit.* Novatus *spem salutis pœnitentibus negavit, quod apertè Symbolo, Credo remiss. peccatorum, adversatur, baptisatos rebaptisavit, secundas nuptias æquè ac adulterium detestatus est, merita operum jactavit, ut* Lutzemburg. & Pontanus *tradunt.* Donatistæ *Ecclesiam sine omni labe hic somniârunt, ritè baptisatos rebaptisârunt, sacramentorum efficaciam à puritate ministrorum suspenderunt, effrenem vitiis licentiam dederunt, Enthusiasmos jactârunt, autocheires fuerunt, & id docuerunt, quod palàm impium, quæ graves errores esse, justèq; communionem excutere apertum est. Latrocinia exercuerunt, & pessimi homines fuerunt, ait* Manlius p. 683. Collectan: *Quæ de sævitiâ & immanitate Præsidum in eos* p. 243. 244. *adduntur, res facti sunt, & in nudam hæresin à Spiritu Christi aliena, qui non vi evellere, sed crescere zizania simùl cum tritico jubet,* Mat 13. v. 30. *Et oppositum Papismi praxin reducit.* Augustinus *Manichæus olim fuit, eoq; rigorem contra Donatistas inde trahere potuit. Et* Donatistæ *plusquam hæretici, h. e. seditiosi latrones fuerunt, pro quibus tamen intercessit apud Cæsaris præfectos Augustinus, ne trucidarentur, ne non essent, qui sanari non possent, ut* Erasmus *de illis judicat* ap. Neufeld judic. c. Valerianum M. C. 1. append. t. 35.. Semipelagiani *in multis cum Pelagi-*

anis consentiunt, quos variè errasse Catalogi hæreticorum docent. Vigilantius *Virginitatis à Christo & Paulo commendatæ hostis extitit, jejunia indiscretè negavit, pudicitiæ insidias struxit, & impietati vitæ portam aperuisse putatur. Impietas a. vitæ occasione inducta à Communione sequestrat, etiamsi nullus error dogmaticus alius concurrat. Sic Petiliano & sequacibus* Augustinus *objicit. Cum vivatis ut latrones, mori vos jactatis, ut Martyres,* L. 2. c. Petil. C. 83.

39. XXIV. Lutherus in Colloq. *Marpurgensi Zinglium & Oecolampadium pro fratribus agnoscere noluit, etsi in omnibus concordarent, exceptâ Cœnâ. Idem hodiè circa dogmata agendum.* R. Hoc aliud ab eo est, *an dogmata quadantenùs conciliari possint, nec ne? Causæ esse possunt, ut fraternitas alicui negetur, etiamsi in omnibus fundamentalibus concordet, ut schismatum seges, vitæ impietas, contradicendi libido, inordinatus processus. Qualia etiam vitare jubent Apostoli,* 1. Cor. 5. v. 11. 2. Theff. 3. v. 6. Eph. 4. 5. *Etiamsi in dogmate consensus sit. Quomodo etiam Schismaticis fraternitas negatur, etsi cætera idem doceant.* V. Augustinum d. Symb. C. 10. Conf. Jren. Continuat. p. 3. t. 17. *Et dissensus in Cœna tùm publicus, notorius, & exacerbatus jam erat, variasq; ac validas consequentias post se trahebat, ut eo non composito fraternitatis spiritualis dextram non facilè alicui promittere sub tali tempore liceret.* Plura L. 2. d. fid. Christ. C. 7. *tradentur.* XXV. Nec consensus Sendomiriensis *ab omnibus receptus est, nec ubiq; observatur.* R. Neq; id opus est, *cum particularis alicujus Ecclesiæ Reformatæ in Poloniâ cum Lutheranâ transactio fuerit, & alias Ecclesias ad observandum obligare nequiverit.* t. 29. *In Poloniâ hodienùm eum observari constat. Quosdam ei contradixisse,*

& de consensu non adhibito testatos fuisse, verum est. Eo tamen non obstante maxima utriusq; Ecclesiæ pars hodiè eum observat. XXVI. In Angliâ & Belgio *Calv. intolerantes sociorum sunt, in paucis ac levibus à se dissentientium. Quis Lutheranos laturos ipsos credat?* R. Hoc litem lite resolvit, *& malè sic res geritur, nec ita fieri debebat, t. 28. Hodiè autem quî Belgæ tolerent Lutheranos, invitent, recipiant, totum Belgium doceat, ubi templa de novo strui permissa, quæ non antè fuerunt,* Amsterdami, Harlemi, Hagæ, & alibi. *An* Elector Saxo *pari modo Reformatos in suis ditionibus laturus sit, dubito, nec Author, scio, affirmare audebit? Quæ Dordracenses c. Arminianos designârunt & patrârunt, etiam omnia facti sunt, & præjudicare causæ, dogmatibus rei, conciliandi negotio, Logicis regulis ac mediis, non debent.*

40. XXVII. In Jure, Medicinâ, *& Philosophiâ varias sententias ferimus & discutimus, nemo de conciliandis illis cogitat aut laborat, sed id impossibile esse omnes judicant. Cur in solis Theologicis tanto conatu conciliationes sectarum moliamur, cum æquè impossibile sit, contraria hic componere, ac in* Philosophicis, Juridicis, Medicis, *Cum æqualis contrariorum distantia in omnibus sit?* R. Nempè quia *varietates sententiarum & contrarietates opinionum in Theologicis* periculosiores sunt, *ac in Philos. Iuridicis, aut Medicis: Nam & spiritualia objecta concernunt, quæ præstantiora civilibus, eoq; majoris momenti habentur, & DEum DEiq; cultum attinere creduntur, in quo unusquisq; maximè suæ sententiæ tenax est, sibi placet, ac oppositum magis abominatur:* Et *quia diversitates religionum plerumq; distractiones animorum sequuntur, unde suspiciones, odia, simultates, factiones, seditiones, oriuntur, è quibus cruenta ac diuturna bella magnæq; clades malorum*

promanare solent, *ut* Gallia, Belgium, Anglia, Germania, *per horribilia bella multos per annos experta sunt*, *graviaq; incommoda totis Rebuspublicis hinc infunduntur*, *eoq; de sopiendo aut extinguendo hoc igne dissidiorum Theologicorum attentius cogitatur ac laboratur*, *quam de alijs cogitari solet*. Pervicacissima enim odia esse solent, quæ ex diversarum religionum litibus fervent, ut Barclajus L. 2. Argen. c. 14. *loquitur*, *horrendasq; persecutiones comites trahunt*, *quibus abolendis inter cœtera de conciliandis quibusdam sententiis consultatum est*. Falsum etiam, *in Philosophiâ aut Iure nunquam de conciliandis sententiis laboratum esse*. *Nam & Basso conciliationes Platonis & Aristotelis scripsit*, *&* Goclenius *Conciliatorem Philosophicum edidit*, *in quo varia dicta Philosophica contraria ad harmoniam reducit*, *Et* Becmannus *harmoniam Logicæ Rameæ & Aristoteleæ emisit*, *&* Foxius *de consensu Platonis & Aristotelis librum scripsit*, *&* Alstedius *subindè in Philosophicis diversas sententias in Encyclopædiâ conciliare solet*, Sennertus *passim in Medicis*, *in Institutionibus ac praxi Medicâ id agit*. *Similiter* Cardanus, Rorarius, Muncerus, alijq;, Althusius *in Dicæologiâ*, Pacius, Bronchorst, & alij *in Iuridicis materiis ac sententijs id factitant*, *ut t. 1. jam adductum fuit*.

41. XXVIII. Non potest pacificatio ulla *apprehendi aut iniri relictis in medio Controversiis*, *quæ hactenùs communitatem diremerunt*, *sed controversiæ istæ vel agnitione*, *vel convictione partis errantis primùm tollendæ*. *Sic* Esaias *lapides & colles aliaq; offendicula corrigi*, *ac aspera planari protestatur* C. 40. & 45. *Sic & in his dogmatibus agendum*. R. Relictis scil. controversiis *fundamentalibus*. *Ideò fundam: dogmata corrigenda*, *immutanda*, *moderanda*, *ut fiant*

recta,

recta, t. 13. 18. *In cœteris semper consensus non expectandus*, t. 19. 21. *Sic motum terræ statuens non hæreticus, aut communione indignus judicandus, ut* Tr. de terræ motione *dictum. Præcipuum a. cum Reform. de universali DEI gratiâ, Christi merito, DEI intentione & vocatione est, in quo non totaliter ab illis & à totâ sectâ distamus*, t. 17. 21. Sed à quibusdam, *cum quibus ex illis, qui consentiunt, ad pleniorem consensum, quantum possibile, ultrà laborandum erit: Et hic conciliandi media ac principia* Logica, Theologica, Metaphysica, Noologica, *respicienda, ut ex illis justè in conciliando procedatur*, t. 4. seq. *Nec* nos Controversias principales in medio relinquendas censemus, *sed ex solidis principiis, in quibus consentitur, ad dissensus tollendos elaborandum esse, fundamentum rei semper attendendum, media inter extrema interdùm arripienda, determinationes sententiarum plenas formandas, naturas Contradictionum justè animadvertendas & determinandas, aliaq́ attendenda esse dicimus, ut* t. 5. seq. *ostensum, quibus Conciliatio pugnantibus induci ex parte queat, quæ in* Logicis ac Metaphysicis, & Tract. de non liquendo, & de medio religioso *ulteriùs deducta sunt. Quòd* Esaias *lapides tollendos, colles æquandos, aspera plananda ait, jure postulavit. Contra Idololatriam enim ea dicta, quæ toto fundamento à vero Iudæorum cultu divino abibat, non illud retinebat, quod in Christianorum quibusdam Controversiis interdùm fit, aut non fit*. t. 19. 20.

42. XXIX. Hic modus parandi pacem *æquè vanus est, ac si febricitantem curare velis licentiâ indultâ ingurgitandi se ijsdem humoribus noxiis, qui proximam febri materiam dederunt. Quomodo non curabitur ille, sed evertetur*. R. Non hic licentia datur *prava & fundamentum convel-*

lentia dogmata retinendi, sed abdicari, melius explicari, melioribus commutari ea debere jubetur, & alias hypotheses magis vero appropinquantes assumi præcipitur, ut ad concordiam deveniatur, Nihil falsitatis malitiosè recipi, teneri, aut defendi conceditur, t. 13. 18. 22. *Quod longè diversum, quàm febricitantem noxiis humoribus farciri indulgere:* Fundamentalia *etiam dogmata attendi jubentur, ut in illis consensus sit, etiamsi in omnibus secundariis tandem non sit, aut sequi possit,* t. 15. Et ut *in morbis curandis noxia interdùm conceduntur, si ingens eorum appetitus ac desiderium in patiente sit, aut alioquin valida melancholia infestet, ut in picâ gravidarum, & morbum ea per accidens curant, etsi per se ac naturâ sui nociva sint: Sic* in Theologicis *ex pravis dogmatibus defensis, ubi absurditas eorum manifestè detegitur, tædium per accidens oriri potest, quomodo tædium controversiarum interdùm ex nimiis contentionibus suboritur, & ad abdicanda ea animi docentium præparari ex eo queant, etsi naturâ sui nociva ac erronea sint, pertinaciterq; mentibus docentium infixa esse soleant, ut vix evelli queant.* Sic morbi quidam *fœtidis curantur, ut Hysterica, ubi ungves, pili, coria, cornua, plumæ incensæ & similia adhibentur, cum tamen aliàs insalubria illa. Sic pulvis de bubone Romæ hydropico alicui coctus, & in cibo ministratus, ut veneno interiret, & iteratò illud factum, sed id in sanitatem cessit, aquamq; vehementer attraxit, & morbosus contra omnem spem convaluit.* Wierus l. 3. d. præst. C. 35. Ledertz p. 3. Schatzkammer Historien / p. 89. Aliud *etiam, ægro licentiam noxiis humoribus se ingurgitandi dare:* Aliud, *prava dogmata necessitate sic postulante ferre & tolerare, non violenter eradicare. Illud vitiosum, hoc ex ratione status necessarium*

& licitum esse potest, t. 37. 38. *Itaq́ comparatio etiam dissimilis hic.*

43. XXX. Hic modus conciliandi *controversias porta est ad reducendum* Atheismum *inchoatum* , *Arminianismum*, Puccianismum, Samaritismum, *tandemq́ Atheismum consummatum & Epicureismum*, *ut nihil tandem credatur, aut in quavis Religione hominem salvari credatur, quod in* Theologicis *pestilentissimum est.* R. Totum hoc *insulsum & calumniosum est.* 1. Si noster *conciliandi modus atheismum reducit*, E. *vera Logicaq́ conciliandi ratio ex solidis Logices fundamentis ac principiis*, *Contradictione animadvertendâ ac removendâ*, *veraeq́ Oppositionis requisitis Logicis sumpta*, *qualia pleraq́* t. 4. 7. 8. seq. *esse certum est*, *ad Atheismum ducet*, *quod absurdissimum*, *& in ipsum Naturæ lumen*, *cujus Autor DEus*, *non Satanas*, *Mundus aut Caro*, *injurium est.* V. d. Notit. natural. C. 3. *Si etiam ad pacem ac conciliandum per justa media laborare porta ad Atheismum est*, *monita Scripturæ de pace cum omnibus sectandâ*, *Quorsùm interdum labore opus esse certum*, *unde pacifici*, *q. pacem facientes beati*, t. 21. *ad Atheismum portas aperient*, *quod in Scripturam injurium est.* 2. Tota consequentia *hic non stringit.* Atheismus *DEum negat apertè vel opertè*, *ex toto vel ex parte*, *directè vel consequenter.* *Sed per justam conciliandi rationem nec DEVS*, *nec quidquam DEI aut Divini*, *veræ fidei aut religionis*, *negatur*, *aut impugnatur*, *totum relinquitur*, *asseritur*, *& defenditur*: Tantùm *nonnulla*, *quæ adversis frontibus concurrere videntur* , *non ita pugnare ex Logicis respectibus & principiis ostenduntur*, *eoq́ in harmoniam aliquam deduci intenduntur*, *& fundamentalia in fide inquiruntur*, *ac ad eorum consensum laboratur.* E

quo

quo nec atheiſmus directus, nec indirectus ſequi poteſt. Pacem enim intendere juſſi ſumus, t. 21. *Quod non factum, ſi per id Atheiſmo porta aperiri poßet. Atheiſmus enim vetitus & improbatus eſt*, Epheſ. 2. v. 12. C. 4. v. 18. *Nec pax pro Atheo, ſed pro Chriſtiano eſt. DEus enim Chriſtianorum DEus pacis eſt, furiarum Deus diſcordiæ*, t. 46.

44. 3. Si ad ſimplicitatem fidei *rem redigere, eoq́ laborare, ad Atheiſm. portam aperit, E. omnes illi, qui eam ſvaſerunt & procurârunt, ad Atheiſmum portam aliquam aperuiſſe dici poterunt. At multi* Lutheranorum *id egerunt*, Lutherus, Philippus, Bugenhagius, Brentius, Chemnitius, Calixtus, Meyfartus, Mentzerus, Schuppius, alijq́; *qui fundamentalia fidei puncta paucis & ſimplicibus ſententiis conſiſtere docuerunt, Et res ipſa, Scriptura, ac Patres magno numero id docent*, ut L. 1. de fid. Chriſt. *patebit. Quod maximè in viros optimè meritos injurium erit.* Similiter *infantes baptiſati in atheiſmi fidem baptiſati erunt, idiotæ item & rudes Chriſtiani atheiſticam fidem habebunt, Controverſiarum enim ſæpè nec gnari, nec capaces ſunt. Nos omnes in fidem atheam in baptiſmo initiati erimus, ſimpliciſſima enim fides illa in infantiâ in nobis fuit, Quæ omnia abſona & impia in fidem Chriſtianam ſunt. Æquè ſimplicicibus DEus fidem indulſit, ac literatis: Imò ſæpiùs magis illis, quàm his, cum hos ſæpè ut ſibi reluctantes in reprobum ſenſum DEus dederit*: Rom. 1. v. 20. 1. Cor. 1. v. 19. ſeq. *Magisq́ diſputaces ſint*, V. Actor. 17. v. 10. ſeq. *Cum rudes ad aſſentiendum proniores; Vnde atrociores illi hoſtes ſæpè Chriſtianiſmi fuerunt, quàm hi, ut* Ambroſius, Tertullianus, alijq́; *queruntur, ut* alibi *dictum.* Atheiſmus *nihil credit & credere jubet. Hic fundamentalia inquiruntur & credi poſtulantur,*

quod

Quod aliquid credere est, non nihil, V. t. 35. Conf. Irenic. p. 1. t. 14. Et def. p. 1. t. 6. aliaq; loca.

45. 4. Si super conciliando *religionis negotium laborare porta ad Atheismum est, E. qui super eo negotio consultârunt, labores insumpserunt, portam ad eum aperuisse suspecti esse poterunt. At hoc multi è* Lutheranis *ipsis fecerunt, Vt* Hunnius in Consultatione, d. diffid. relig. componend. Vaeckius in Libr. de Unione fidelium, Meldenius in Parænesi, Meyfartus, Hutterus, Himmelius in Irenicis, alii in aliis Scriptis, *Theologi* Germani, Sveci, Dani, *Vt* Hulseman. *loquitur, Et conatus Pacificatorum laudat ac DEO commendat*, V. t. 21. *Multiq;* t. 3. *allegati. Conatus autem ad Atheismum ducentium nec laudandi, nec precibus DEO commendandi sunt.* Imò *illi ipsi, qui atheismos hic crepant, ad eum ducent, simplicitatem enim in fide sæpè requirunt, Vt cum unum DEVM credere satis esse dicunt, qui sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sivè tres personæ in unâ essentiâ dici debeant, sivè dici nequeant, nihil ad fidem pertinere dicunt, Vt* Calovius præf. parasceev. c. Crell. Et Parasceev. p. 14. 20. Et Fide Antenicæn. *Vt* Meth. d. Trinit. t. 45. Et L. 1. d. fid Christ. *dicetur.* 5. Si quidquam *ad Atheismum hic struitur, aut hinc deducitur, totum vitio hominum fit, qui tale intendant, aut eò, quod bonum in se est, vitio sui rapiant, eisq; adscribendum, non Conciliationis doctrinæ aut mediis, quæ nihil horum intendere aut occupare volunt.* Sic Evangelium *factiones ac odia commovit, Christus ignem in terram tulit, signum Contradictionis & ruinæ multorum fuit, Lex peccatum irritavit*, Matth. 10. Luc. 1. & 12. Rom. 7. *Omnia per accidens, & ex eventu, ac vitio*

hominum, non quasi ista Causæ per se vel per accidens proprii loquendo ad ista fuerint. V. d. Caus. p. accid. t. 41. *Sic doctrina de solâ fide justificante impietatem promovet ex accidente & vitio hominum eâ ad illam abutentium, non quòd naturâ sui eò ducat.*

46. 6. Potiùs doctrina ex justis principiis *conciliandi ad pietatem & DEVM ducit, Pacis enim & concordiæ DEVS est,* Phil. 4. v. 9. 2. Thess. 3. v. 16. *Vt Sathan discordiæ ac rixarum,* 1. Cor. 3. v. 3. Gal. 5. v. 20. *Et Author dissensionum in fide,* Matth. 13. v. 25. *Pacem suis DEVS suasit ac commendavit,* Marc. 9. v. 50. Joh. 13. 14. 15. V. t. 21. *Eò suos vocavit,* 1. Cor. 7. v. 15. Coloss. 3. v. 15. *Pacificos beatos dixit,* Matth. 5. *Impacificos ergò ac turbulentos damnatos habet, Deoq; adversos esse necesse est, Impiis enim nunquam pax est,* Psal. 120. v. 7. Esai. 48. v. 22. C. 57. v. 21. C. 59. v. 8. *Pace regnum DEI constat & promovetur,* Luc. 1. 2. Jac. 3. v. 18. *Dissidiis evertitur: Sapientia de superno pacifica est,* Jac. 3. v. 17. *Pro DEO ut pacis fonte negotium conciliandi suscipitur, Cum turbandi pro Sathanâ suscipiatur: Iustè conciliare Christianum, Theologum, Philosophum, Logicum, decet, non Atheum. Pacificare ergò etiam in religione magis ad DEVM ducet, eiq; assimilabit, ut discordiis fovendis perpetuò invigilare ab eo abducet, sicq; viciniùs Atheismo accedet.* Imò *religionem Christ: in æternas quæst. discindere, & de illis æternùm digladiari, ut semper aliquid reponi possit, viam ad incertum credere aperit, cui facile succedit nibil credere, qui apertus Atheismus. Religio vera naturâ sui unica est,* Ephes. 4. v. 5. *Malitiâ Sathanæ dissecta est,* 1. Cor. 1. & 3. *Ad unitatem ergò laborans ad naturam fidei laborat: Ad dissidia*

contra

contra eam, & adeversionem ejus. Per quod Atheismus induci facilimo negotio potest.

47. *Quod ad instituta* Durei, Halli, Parei, aliorum, Germanorum, Gallorum, Anglorum, Belgarum, *similiumq́, vel intentiones aut media singulorum, universorum, aut quorundam, attinet, ab hoc opere, quod jam tractatur; de conciliandis enuntiatis, alienum est. Cuivis suum defendendi, explicandi, corrigendi, deducendi, jus esto. Multa incerta hic intercurrunt, & de multorum intentionibus satis non constat, Vt* c. *36. jam monitum. Hic quæ commodissima Conciliandi quædam contrariari visa, ratio sit, constituere & deducere, ac quæ objiciuntur, refellere, intentum fuit.* Ultrà *procedere hac vice non visum. Alia* Irenicum *ostendit,* Defensio *firmavit,* Libri de fide Christianâ *plenius deducent, adductis inter cœtera authoritatibus* Patrum, Theologorum *ex omni ferè religione,* Pontificiorum, Lutheran. Reformator. Armin. & Photinianorum, *in re & communi medio consentientium, sed ubi ad praxin venitur, non satis consentienter aut competenter procedentium. Cui defectui an & quâ ratione succurri queat, tempus, rerum & veri filia, de futuro edocere poterit. Scripta* de non liquendo, Medio religioso, *jam edita, plurimum juvabunt. Reliqua* de Corruptione fidei, Depravatâ sectar. Causâ, Methodo Trinitatis, *similiaq́, uberiùs quædam huc facientia deducent, Modò Editoris facultas se dederit.* Personalia *cujusvis Authoris ab omnibus partibus occurrentia, ipsis Scriptoribus defendenda, vel excusanda permitti, æquum est. Hic ad modum Concil. laborare conatum esse sufficiat.*

Aucta-

Auctarium.

UT brevi Epitome hactenus tradita Lectori ob oculos sistam, Conciliandi media strictim ita delibanda. Respectum Logicum in Contradic. attendere, Contraria Enunt. à Contradictoriis secernere, Contradictionem in infinitam negationem extendere, Medium ignorantiæ in Contradictorii attendere, Disparatum aut diversum à Contradictorio secernere, Ambiguitatem terminorum probè observare, Falsa non ut talia, sed correcta & mitigata veris concilianda æstimare, Etiam in partem aliqua, quando in totum non licet, in consensum trahere, fundamentalia ac præcipua, quando non omnia possunt, in Theol. conciliare allaborare, Veritatem rerum ipsarum materiali rerum considerationi reservare, non ad formalem Contradictionem apportare, Contradicendi generalitatem in totâ sectâ aut parte ejus observare, inter Conciliare dogmata & tolerare prudenter distinguere, Conciliandi principia generalia & accurata habere, Media inter extrema prudenter advertere ac adhibere, & deniq; Obstantia justè removere, summa & argumentum totius hujus Tractationis est. In quo CUM DEO finis jam esse potest.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.